Synodus Diœcesana Albanensis VI.

Walter T. Bazaar

STATUTA

Dioecesis Albanensis

IN

Sexta Synodo Dioecesana

die xxxi Januarii 1895

IN SEMINARIO MAJORI ST. JOSEPHI, TROJÆ

promulgata et edita

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

Thoma Martino Aloysio Burke

Episcopo Albanensi

ALBANIÆ
EXCUDEBANT WEED–PARSONS SOCIIQUE, TYPOGRAPHI.
MDCCCXCV

Rev. Walter Bazaar.

Index.

PROEMIUM. PAG^a.

I. ACTA SYNODI, ... 5
II. OFFICIALES SYNODI, ... 8
III. SYNODALES ET ABSENTES, ... 9
IV. OFFICIALES DIŒCESIS, ... 15

STATUTA.

CAPUT PRIMUM.— *De Synodorum Baltimorensium et Neo-Eboracensium Promulgatione*, ... 19
CAPUT SECUNDUM.— *De Fide*, ... 19
CAPUT TERTIUM.— *De Doctrina et Prædicatione Verbi*, . . 21
CAPUT QUARTUM.— *De Zelo Animarum*, ... 22
CAPUT QUINTUM.— *De Piis Associationibus*, ... 24
CAPUT SEXTUM.— *De Institutione Juventutis*, ... 26
CAPUT SEPTIMUM.— *De Sacramentis in Genere*, ... 29
CAPUT OCTAVUM.— *De Baptismo*, ... 30
CAPUT NONUM.— *De Confirmatione*, ... 33
CAPUT DECIMUN.— *De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento*, 33
CAPUT UNDECIMUM.— *De Pœnitentia*, ... 35
CAPUT DUODECIMUM.— *De Extrema Unctione*, ... 38
CAPUT DECIMUM TERTIUM.— *De Ordine*, ... 39
CAPUT DECIMUM QUARTUM.— *De Matrimonio*, ... 40
CAPUT DECIMUM QUINTUM.— *De Cultu Divino*, ... 42
CAPUT DECIMUM SEXTUM.— *De Missæ Sacrificio*, . . . 44
CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.— *De Disciplina*, ... 46
CAPUT DECIMUM OCTAVUM.—*De Vita et Honestate Clericorum*, 48
CAPUT DECIMUM NONUM.— *De Regularibus*, ... 50
CAPUT VIGESIMUM.— *De Sepultura Ecclesiastica*, . . . 52
CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.— *De Bonis Ecclesiasticis*, . . 54
CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.—*De Sustentatione Sacerdotum*, 59
CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.— *De Collectis*, ... 60
CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.— *De Judiciis Ecclesiasticis*, . 60
CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.— *De Officialibus Diœceseos*, . 61
CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.— *Regulæ Cancellariæ Diœcesanæ*, 62

APPENDIX : PAG^a.

I. FACULTATES DIŒCESANÆ, ... 65
II. INDULTUM 15^i MARTII 1895 CIRCA USUM CARNIUM, 70
III. BY-LAWS AND INSTRUCTIONS FOR INCORPORATION OF CHURCHES AND BEQUESTS, ... 72
IV. INDEX ALPHABETICUS, ... 79

I. Acta Synodalia.

1° Synodi indictio. Memor votorum ac decretorum hac in re Sanctæ Matris Ecclesiæ, atque promovendæ in Diœcesi sibi recenter ad regendam commissa ecclesiasticæ disciplinæ studio motus, Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Thomas Aloysius Martinus Burke, Episcopus Albanensis, die 29ª mensis Decembris aº 1894, omnibus utriusque cleri sacerdotibus in Diœcesi sacro fungentibus ministerio celebrandam indixit Synodum diœcesanam hisce litteris.

Thomas,

Dei et Apostolicæ Sedis Gratia,

Episcopus Albanensis.

Omnibus has Litteras Inspecturis Salutem in Domino.

Ad majorem Dei gloriam promovendam, et ad ea omnia stabilienda, quæ, in Nostra Diœcesi, ad incrementum ecclesiæ et ad salutem animarum conducere valeant, sextam Synodum Diœcesanam Albanensem, die 31ª Januarii, A. D. 1895, hora 9.30ª antemeridiana, in Sacello Seminarii B. Joseph, Trojæ, celebrandam decrevimus. Ad eam igitur omnes sacerdotes, tum sæculares tum regulares, qui curæ animarum operam dant, cæterosque, qui de jure aut consuetudine interesse debent, convocamus, et prout opus est, ut intersint præcipimus et mandamus.

Interea Deum Omnipotentem, a Quo bona cuncta procedunt, enixe obsecremus, ut opus, Ipsius annuente gratia ac sub auspiciis BB. Virginis, sine labe conceptæ, inceptum, ad felicem exitum perducatur.

Datum Albaniæ, ex ædibus Nostris in festo Sti. Thomæ Apostoli, A. D. 1894.

† THOMAS,
Episcopus Albanensis.

2° Synodi conventus. Huic Illustrissimi Episcopi mandato obtemperantes die 31ª Januarii a. 1895 in ædibus Majoris Seminarii Sº Josepho dicati in civitate Troja hora statuta convenerunt omnes e clero diœcesano tam regulari quam sæculari sacerdotes legitimam ob causam non impediti et excusati. Simul cum Episcopo prius devote adfuerunt Missæ de Spiritu Sancto quam sine cantu celebravit Reverendus Admodum Dominus Joannes Jacobus Swift, Episcopi Vicarius Generalis.

3° Synodi celebratio. Missa finita, Illustrissimus Episcopus amicta, stola ac pluviali rubro supra rochetum indutus, acceptaque mitra, preces ad inchoandam Synodum in Pontificali Romano præscriptas Deo obtulit. His absolutis, ad instantiam promotoris, et nutum Episcopi lectum est a Secretario decretum de aperienda Synodo, ac statim post proclamata sunt nomina eorum, quos Episcopus elegerat hujus Synodi Officiales (Cfr. pag. 8ª) Indicatis deinde per summaria capita variis decretis præliminariis scilicet de modo vivendi durante Synodo,— de non afferendo præjudicio quoad loca, — de non discedendo, ad instantiam Promotoris lecta quoque sunt a Secretario tum decretum de professione fidei emittenda, tum ipsa professionis fidei catholicæ præscripta formula, cui omnes Synodales, juramento super Evangeliorum libro præstito assensum suum dederunt.

Mandavit deinde Episcopus, instante Promotore, ut nomina ad Synodum convocatorum proclamarentur a Secretario et absentes a Notario sedulo notarentur. (Vide pagª 9ª.)

Quibus peractis, audita est nova Promotoris instantia, ut ipsa Synodi decreta legerentur, quod assentiente Illustrissimo Domino, Secretarius præstitit, antea jam promulgata et etiam in posterum servanda decreta et statuta summarie indicando, et legendo ex integro nova nunc addenda. Finita lectione, Illustrissimus Episcopus eorum quæ vigentibus jam decretis, ut recentioribus Sanctæ Sedis declarationibus plane congruerent, adjicienda censuerat, sensum atque momentum paucis sed perspicuis verbis declaravit. Tunc ut omnibus ansam præberet deliberandi inter se de iis votis, quæ per Procuratores Cleri suæ approbationi subjicere cuperent, per sufficiens tempus sessionem hanc prorogare dignatus est.

Hora circiter duodecima sessio ab Episcopo resumpta et continuata fuit. Prius postulationes a clero sibi factas audivit atque mentem suam quoad ipsas manifestam fecit, deinde mandatum dedit Secretario ut futurorum Diœcesis Officialium nomina publica red-

deret. Proclamatis Officialibus diœcesanis (vide p. 15ª) et facta gratiarum actione, ipsa Synodi conclusio ad horam 2ªm p. m. delata est.

4° Synodi Conclusio. Post prandium ergo omnes hora secunda iterum convenerunt cum Episcopo in Seminarii sacello ut Synodo finem facerent et statim post collationi Theologicæ interessent. Proclamatis iterum Synodalium nominibus, hanc sextam Diœcesis Albanensis, primam vero suam synodum solemniter et feliciter precibus præscriptis absolvit Illustrissimus ac Reverendissimus Episcopus, cui Deus multos et faustos annos concedat.

II. Officiales Synodi.

Promotor.

Adm. Rev. D. Joannes Joseph Swift, V. G., R. M.

Judices Excusationum et Querelarum.

Adm. Rev. D. Jacobus McDermott, V. F., R. M.
Rev. D. Gulielmus F. Sheehan, R. M.

Procuratores Cleri.

Rev. D. Joannes L. Reilly, R. M.
Rev. D. Franciscus J. Maguire, LL. D.

Secretarius.

Rev. D. Remigius Lafort, S. T. L.

Notarius.

Rev. D. Joannes Walsh.

Magistri Cæremoniarum.

Rev. D. Joseph H. Mangan, R. M.
Rev. D. Joseph H. Fitzgerald.

Cantores.

Rev. D. Jacobus J. O'Brien.
Rev. D. Michael L. Walsh.

III. Synodales.

I.

E Clero Saeculari.

Adm. Rev. D. Swift, Joannes J., V. G., M. R.
Rev. D. Barrett, Joannes J.
" " Bloomer, Jacobus.
" " Brady, Edwardus M.
" " Brady, Patricius J.
" " Brosnam, Joannes J.
" " Browne, Gulielmus A., S. T. B.
" " Burrick, Julius J.
" " Carney, Eugenius.
" " Casey, Daniel S.
" " Cloutier, Franciscus X.
" " Craig, Robertus T.
" " Cunningham, Andreas.
" " Curtin, Jacobus A.
" " Curtin, Daniel F.
" " Delaney, Thomas E.
" " Dempsey, Patricius B.
" " Dereszewski, Josephus.
" " Dillon, Joannes J.
" " Dineen, Michael.
" " Dolan, Joannes W.
" " Donnelly, Patricius J.
" " Donahoe, Joannes F.
Adm. Rev. D. Duffy, Jacobus E., V. F.
Rev. D. Dufour, Alphonsus.
Rmus. D. Dugas, Ludovicus M., Proton. Apost.
Rev. D. Dugas, J. Alphonsus.
" " Duplang, Andreas, S. T. D.
" " Earley, Thomas F.
" " Ethier, Josephus Alexander.
" " Ethier, Josephus Stephanus.

Rev. D.	Finneran, Gulielmus J.
" "	Fitzgerald, Josephus H.
" "	Fitzgerald, Gulielmus P.
" "	Fivez, Augustinus, S. T. L.
" "	Flood, Jacobus.
" "	Fogarty, Michael M.
" "	Gavin, Michael C.
" "	Gilloon. Jacobus B.
" "	Graf, Franciscus M. Gustavus.
" "	Graham, Josephus S.
" "	Greagan, Franciscus A.
" "	Griffith, Michael J.
" "	Halpin, Jacobus H.. S. T. B.
" "	Hanlon, Joannes J.
" "	Harrigan, Patricius F.
" "	Havermans, Petrus.
" "	Heffernan, Jeremias J.
" "	Herfkens, Henricus.
" "	Horan, Michael J.
" "	Hughes, Thomas F.
" "	Hyland, Joannes F.
" "	Keveny, Thomas S., M. R.
" "	Killeen, Michael.
" "	Lafort, Remigius, S. T. L.
" "	Lavigne, Ludovicus A.
" "	Leonard, Josephus F.
" "	Livingston, Patricius.
" "	Lizé, Franciscus X.
" "	Looney, Michael J.
Adm. Rev. D.	Ludden, Antonius, P., V. F.
Rev. D.	Ludden, Jacobus M., M. R.
" "	McCarthy, Joannes S.
" "	McCarthy, Michael F.
Adm. Rev. D.	McDermott, Jacobus, V. F., M. R.
Rev. D.	McDermott, Patricius H., P. F.
" "	McDonnell, Joannes J.
" "	McDonough, Bernardus J.
" "	McHugh, Dionysius.
" "	McIncrow, Joannes P., M. R.
" "	McLoghlin, Thomas.
" "	Mangan, Josephus H., M. R.

Rev. D. Maguire, Franciscus J.
" " Mahoney, Daniel P.
" " Merns, Matthaeus K.
" " Miller, Henricus A.
" " Molejkajtys, Bartholomeus.
" " Mooney, Michael F.
" " Morrissey, Joannes L.
" " Mulligan, Michael.
" " Murphy, Dionysius E.
" " O'Brien, Jacobus J.
" " O'Connell, Daniel.
" " O'Connor, Jacobus P.
" " O'Connor, Gulielmus F.
" " O'Mahoney, Gulielmus.
" " O'Neil, Hugo.
" " Offergeld, Henricus, Josephus.
" " Ottenhues, Josephus, M. R.
" " Peyton, Jacobus J.
" " Pidgeon, Eduardus A., S. T. B.
" " Pineau, Ferdinandus.
" " Prudhomme, Remigius.
Adm. Rev. D. Puissant, Petrus A., S. T. D.
Rev. D. Quinn, Joannes V.
" " Reilly, Joannes L., M. R.
" " Schoppe, Bernardus.
" " Scully, Patricius F.
" " Sheehan, David.
" " Sheehan, Gulielmus F., M. R.
" " Sheridan, Matthaeus A.
" " Slattery, Joannes T.
" " Smith, Patricius F.
" " St. Onge, Joannes B.
" " Stuart, Franciscus N.
" " Toolan, Franciscus J.
" " Torpey, Gualterius J.
" " Wallace, Joannes P.
" " Wallace Patricius F.
" " Walsh, Jacobus L.
" " Walsh, Jacobus R.
" " Walsh, Joannes.
" " Walsh, Michael L.

Rev. D.	Walsh, Thomas J.
" "	Walsh, Thomas P.
" "	Ward, Rogerius.
" "	Wendl, Emeranus D.
" "	White, Gulielmus H.
" "	Wibbe, J. Hermanus.

II.

E Clero Regulari.

Rev. P.	Braitsch, Thomas, O. M. C.
" "	Gehring, Antonius, O. M. C.
" "	Goessmann, Angelus, O. M. C.
" "	Voigt, Fidelis M., O. M. C.
" "	Hayes, Thomas W., S. J.
" "	Nash, Michael, S. J.
" "	Quin, Georjius E., S. J.
" "	Bowles, Joannes J,, O. S. A.
" "	Carr, Patricius A., O. S. A.
" "	Cullinane, Carolus, O. S. A.
" "	Curran, Jacobus P., O. S. A.
" "	Devir, Joannes, O. S. A.
" "	Emmett, Joannes T., O. S. A.
" "	Gallagher, Hugo A., O. S. A.
" "	McLoughlin, Andreas M., O. S. A.
" "	Moriarty, Josephus T., O. S. A.
" "	O'Donnell, Patricius H., O. S. A.
" "	Regan, Daniel D., O. S. A.
" "	Regan, Henricus T., O. S. A.
" "	Ryan, Jeremias J., O. S. A.
" "	Ritter, Gaspar, C. SS. R.
" "	Wissel, Josephus, C. SS. R.

Synodo Abfuerunt.

I. *E. Clero Saeculari.*

Rev. D. Shea, Cornelius, Cancellarius.
" " Audet, Josephus.
" " Connelly, Gulielmus.
" " Cullinan, Gulielmus.
" " Delany, Josephus, S. T. D.
" " Dolan, Jacobus F.
" " Driscoll, Joannes T., S. T. L.
" " Fitzsimmons, Jacobus, S. T. B.
" " Hayden, Joannes J.
" " Hipelius, Eduardus, U. J. D., D. M.
" " Kelly, Thomas.
" " Livingston, Gulielmus, A. M.
" " Lowery, Joannes F., LL. D.
" " Lynch, Joannes J.
" " Maeyer, Josephus H. W.
" " McGuire, Franciscus D.
" " Mahony, Gulielmus F.
" " Muldoon, Patritius J.
" " Murphy, Gulielmus H., LL. D.
" " Renaud, P. O.
" " Rey, Eugenius.
" " Rhatigan, Matthaeus.
" " Rooker, Fredericus Z., S. T. D.
" " Santoro, Joannes.
" " Smith, Dionysius.
" " Smith, Philippus J.
" " Smith, Gulielmus J.
" " St. Onge, Ludovicus N.
" " Terry, Edwardus E., LL. D.
" " Villeneuve, Alphonsus.
" " Walworth, Clarentius A., LL. D.

II. *E. Clero Regulari.*

Rev. P.	McQuaid, Joannes, S. J.
" "	Fahey, Joannes P., O. S. A.
" "	Bloom, Josephus, C. SS. R.
" "	Delargy, Franciscus, C. SS. R.
" "	Doyle, Petrus, C. SS. R.
" "	Gannan, Michael, C. SS. R.
" "	Gareis, Antonius, C. SS. R.
" "	Heenan, Joannes, C. SS. R.
" "	Hespelein, Georgius, C. SS. R.
" "	Hogan, Gulielmus, C. SS. R.
" "	Lynch, Joannes B., C. SS. R.
" "	McGrath, Josephus, C. SS. R.
" "	Schmidt, Carolus, C. SS. R.
" "	Ward, Petrus, C. SS. R.
" "	White, Gulielmus, C. SS. R.
" "	Wurst, Josephus, C. SS. R.
" "	Zilles, Hubertus, C. SS. R.

IV. Officiales Dioeceseos.

(In Synodo Nominati.)

Consultores Diœcesani.

Adm. Rev. D. Joannes Joseph Swift, M. R. V. G.
" " " Jacobus McDermott, M. R. V. F.
" " " Jacobus E. Duffy, V. F.
Rev. D. Clarentius A. Walworth, LL. D.
" " Franciscus D. Mcguire.
" " Joannes L. Reilly, M. R.

Examinatores Cleri.

Adm. Rev. D. Petrus A. Puissant, S. T. D.
Rev. D. Augustinus Fivez, S. T. L.
" " Eduardus Hipelius, U. J. D.
" " Rev. P. Joannes McQuaid, S. J.
" " Clarentius A Walworth, LL. D.
" " Joannes F. Lowery, LL. D.
" " Joannes Walsh.
" " Joannes B. St. Onge.
" " Jacobus H. Halpin, S. T. B.

Censor Librorum.

Rev. D. Remigius Lafort, S. T. L.

Defensor Matrimonii.

Rev. D. Eduardus Hipelius, U. T. D.

Promotor Fiscalis.

Rev. D. Patritius H. MacDermott.

Diœcesana Commissio Examinationis.

Adm. Rev. D. Joannes Joseph Swift, M. R., V. G.
" " " Jacobus E. Duffy, V. F.
Rev. D. Joseph Ottenhues, M. R.
" " Philippus J. Smith.
" " Jacobus M. Ludden, M. R.
" " Franciscus J. Maguire, LL. D.
" " Joannes P. McIncrow, M. R.
" " Patritius H. McDermott, P. F.
" " Joannes B. St. Onge.
" " Andreas Duplang, S. T. D.

Commissiones Scholarum.

Pro Civitate Albanensi.

Rev. D. Joseph H. Mangan, M. R.
" " Joseph Ottenhues, M. R.
" " Fidelis M. Voigt, O. M. C.
" " Bernardus Schoppe.
" " Ludovicus A. Lavigne.
" " Joannes J. Dillon.
" " Joseph H. Fitzgerald.
" " Michael L. Walsh.
" " Andreas Cunningham.
" " Joannes T. Slattery.
" " Michael F. McCarty.
" " Gulielmus F. O'Connor.
" " Matthæus Sheridan.
" " Daniel S. Casey.

Pro West Troy, Cohoes.

Rev. D. Jacobus A. Curtin.
" " Gulielmus Connelly.
" " Thomas S. Keveny, M. R.
Rmus. D. L. Marcellus Dugas, Proton. Apost.
Rev. D. Joannes F. Lowery, LL. D.
" " Daniel F. Curtin.
" " Jacobus B. Gilloon.
" " Julius J. Burrick.
" " Eugenius Carney.
" " Daniel P. Mahoney.

Pro East Albany, Castleton, Hudson, Catskill.

Rev. D. Gulielmus J. Finneran.
" " Gulielmus A. Browne, S. T. B.
" " Thomas F. Earley.
" " Jacobus R. Walsh.

Pro Troy, Lansingburgh, Hoosick Falls.

Adm. Rev. D. Joannes Joseph Swift, M. R., V. G.
Rev. D. Jacobus P. O'Connor.
" " Joannes McQuaid, S. J.
" " Joseph F. Leonard.
" " Jacobus Flood.
" " Joannes B. St. Onge.
" " Gulielmus O'Mahony.
" " Andreas Duplang, S. T. D.
" " Patritius B Dempsey.
" " Joannes J. Barrett.
" " Franciscus N. Stuart.
" " Daniel D. Regan, O. S. A.
" " Joannes T. Emmett, O. S. A.

Pro Glens Falls, Whitehall.

Adm. Rev. D. Jacobus McDermott, M. R., V. F.
Rev. D. Joseph Ethier.
" " Jacobus J. O'Brien.
" " Franciscus X. Lizé.
" " Joseph S. Graham.

Pro Schenectady, Amsterdam, Little Falls.

Rev. D. Joannes L. Reilly, M. R.
Adm. Rev. D. Antonius P. Ludden, V. F.
Rev. D. Joannes P. McIncrow, M. R.
" " J. Hermanus Wibbe.
" " Patritius H. MacDermott, P. F.
" " Jacobus H. Halpin, S. T. B.
" " Michael J. Horan.
" " Gulielmus A. White.
" " Patritius J. Donnelly.

(Ante Synodum Jam Constituti.)

DECANI.

Pro Comitatibus Albany et Schenectady.

Commissi sunt hi Comitatus curæ Ordinarii Diœcesis.

Pro Comitatibus Warren, Washington et Saratoga.

Adm. Rev. D. Jacobus McDermott, V. F.

Pro Comitatibus Rensselaer, Greene, Delaware, Schoharie et Columbia.

Adm. Rev. D. Jacobus E. Duffy, V. F.

Pro Comitatibus Herkimer, Hamilton, Fulton Montgomery et Otsego.

Adm. Rev. D. Antonius P. Ludden, V. F.

RECTORES MISSIONARII SEU INAMOVIBILES.

Albaniæ,	Rector Ecclesiæ	S. Joseph.
Albaniæ,	" "	S. Joannis.
Albaniæ,	" "	S. Crucis.
Amstelodami,	" "	SS. Mariæ.
Cohoes,	" "	S. Bernardi.
Glens Falls,	" "	SS. Mariæ.
Trojæ Occidentalis,	" "	S. Patritii.
Trojæ,	" "	S. Patritii.
Schenectady,	" "	S. Joannis.

Statuta.

CAPUT PRIMUM.

SYNODORUM BALTIMORENSIUM, NEO-EBORACENSIUM ET ALBANENSIUM PROMULGATIO.

1. Decreta Conciliorum Plenariorum Baltimorensium II et III, necnon Conciliorum Provincialium Neo-Eboracensium a Sancta Sede recognita; statuta etiam superiorum quinque Synodorum Albanensium, quibusdam necessario mutatis, denuo promulgamus, seduloque ab omnibus in Nostra Diœcesi, ad quos pertinent, servanda mandamus.

2. Ne vero facilius istæ leges in oblivionem veniant, enixe hortamur Sacerdotes omnes, quibus animarum cura incumbit, ut eorumdem conciliorum exemplaria apud se habeant, ipsaque cum eorum appendicibus, atque constitutiones hujus quoque sextæ Synodi Albanensis, quæ præcedentium etiam decreta complectitur, semel saltem in anno diligenter perlegant.

CAPUT SECUNDUM.

DE FIDE.

3. Fidem ad salutem omnino necessariam esse declarat gentium Apostolus scribens: "Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit."(1)

4. Pastoribus igitur animarum nihil altius, nihil sanctius esse debet, quam ut gregem sibi creditum Catholicæ Fidei pretium inæstimabile edoceant, eique sancta ejus principia pro viribus imprimant; simulque pericula eam ubique, præsertim vero apud juventutem incautam, labefactare minitantia, demonstrare omni industria ac sollicitudine satagant.

(1) Heb. xi, 6.

5. Quamvis revelatio et ratio nullo modo sibi adversantur, atque inter utramque concordia in multis veritatibus perfecta detegi potest, in sat multis tamen hæc concordia humano intellectui perspicua non est. Caveant igitur prædicatores et catechistæ ne, fallaci humanæ scientiæ nimis fidentes, et a fidei simplicitate deflectentes, plus sapiant quam oportet sapere. Hinc sæpius inculcandum est populo, ut auctoritati Divinæ penitus se submittant in iis quæ humana mens demonstrare non valet, quæque, nostra præsertim ætate, in discrimen vocantur. Quod maxime attendendum est quoad mysteria SS. Trinitatis, æternitatis pœnarum, gratiæ necessitatis et alia hujusmodi. Præterea doceant prædicatores, esse de fide tenendum, extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, eosque in damnationis periculo versari, qui ignorantia culpabili extra hanc unicam salutis arcam e vita excedunt.

6. Meminerint idcirco Confessarii et animarum curam habentes suos edocere, quam illicitum et quam periculosum sit concionibus hæreticorum aut schismaticorum eorumve exercitiis interesse, quod nullo unquam prætextu ipsis permittant.

7. Fideles pariter, præsertim patresfamilias, sæpe graviterque moneantur ut biblia ab acatholicis vitiata, libros religioni aut bonis moribus injuriosos, atque ephemerides improbas procul a se suisque domibus arceant, et potius libros bonos, ephemeridesque Catholicas legant ac disseminent. Ad hoc valde utiliter parochiales bibliothecæ a Rectoribus missionum constituentur.

8. Quum lege Ecclesiæ, libri, ad religionem et Dei cultum spectantes, sine Ordinarii approbatione, prelo committi vetentur, moneantur illi, quorum interest, Nostram licentiam in casibus occurrentibus obtinendam esse. Optamus ut nullum prorsus scriptum clerici suo nomine edant, quin prius consensum Nostrum acceperint.

9. Sacerdotes a magnetismi animalis ac similium periculis Dominicum gregem pro posse defendant.

10. Moneantur fideles ut a societatibus revera secretis aut quomodocumque illicitis omnino se abstineant. Illis, qui ab hujusmodi societatibus prorsus recedere nolunt, absolutio sacramentalis denegetur. Sacerdotes tamen ne temere et inopportune secretas, aut damnatas declarent illas societates, de quibus an tales sint, dari potest dubium non improbabile.

11. Summam venerationem et obedientiam erga Sanctam Sedem Apostolicam ipsi exhibeant, ac populo inculcent. Quum nostra præsertim ætate, hostes Ecclesiæ, quo facilius eum impugnent, Summum Pontificem suo dominio temporali et independentia spoliatum tenere conentur, fideles opportune moneant ut subsidium orationum et denarii S. Petri ei pro viribus contribuant, ac jura ipsa antiqua S. Sedis verbis et factis defendant. Delegato quoque Apostolico, quem Sanctissimus Dominus noster ac divina Providentia Papa Leo XIII, ad Catholicorum in hisce Statibus Fœderatis communionem cum Sancta Sede arctius constringendam conservandamque, nuper ad nos mittere dignatus est, maximam venerationem atque reverentiam omnes Clerici et Fideles diœcesis alacri animo semper præstent.

CAPUT TERTIUM.

DE DOCTRINA ET PRÆDICATIONE VERBI.

12. Quum Fides oriatur "ex auditu, auditus autem per verbum Christi,(1) Pastores animarum, diebus saltem Dominicis et Festis solemnibus, populum sibi commissum salutaribus verbis pascere tenentur.

13. Nemo, nequidem regularis, dignitate sacerdotali nondum vestitus, munus concionatoris in ulla hujus Diœceseos ecclesia, absque Nostra prævia licentia, exercere præsumat, neque prædicare permittantur sacerdotes extranei, qui in propria diœcesi vel facultatibus non sunt donati, vel a prædicando fuerunt inhibiti.

14. Statuimus ut Scripturæ Sacræ loca, Anglico sermone citanda, ex Duacensi versione depromantur.

15. Sacerdotes in concionibus populum instruant iis, quæ scitu necessaria sunt ad salutem, et quæ spectant ad officia vitæ christianæ rite implenda. In tradendis his instructionibus, normam catechismi Romani sedulo sequantur.

16. Concionantis sermo sit facilis et brevis, auditorum captui et utilitati accommodatus, nunquam ad proprii ingenii acuminisve laudem aut famam directus. Sit insuper ministro, Christi vices gerente, dignus; quapropter nunquam prodeat Sacerdos ad concionem imparatus, nisi gravissima urgeat necessitas.

(1) Rom. x, 17.

17. In doctrîna exponenda sit concionator cautus, prudens ac diligens. Idcirco non dubia aut incerta, non sua placita sed Dei verbum auditoribus proponat, sanæ semper inhærens doctrinæ. In impugnandis hæreticorum erroribus omni abstineat acerbitate.

18. Sacerdotes caveant, ne quem, sive clericum sive laicum, nominatim in ecclesia reprehendant, aut insidiosa verborum circuitione ita notent vel designent, ut multis innotescere facile possit; neque ad privatam injuriam ulciscendam sacro loco et tempore abuti audeant.

19. De rebus autem politicis, ne unquam e suggestu fiat sermo, districte vetamus.

20. Quæstiones pecuniariæ e suggestu vel altaris plano nonnisi raro et circumspecte tractentur; nunquam vero negotia a religione aliena pro argumento sermonis adhibeantur.

21. Decessores suos, sive vivos sive defunctos, aut etiam confratres suos, quacumque de causa, ne traducant e suggestu vel in diariis publicis.

22. Mandamus porro ut in singulis Missis lectis, quibus adstant fideles, diebus Dominicis et Festivis, ipso quoque æstatis tempore, post Evangelium brevis aliqua fiat instructio, quæ cum prælectione Evangelii in lingua vernacula et annuntiationibus, saltem ad duodecimam horæ partem, sed non ultra quadrantem protrahatur; in Missa autem solemni conciones instituantur consuetæ. Item in aliis officiis desideramus ut identidem similes dentur catecheticæ vel homiliticæ instructiones quibus audientium mentes erudiantur et ad pietatem corda flectantur.

CAPUT QUARTUM.

DE ZELO ANIMARUM.

23. Quanto zelo saluti animarum procurandæ incumbere debeant earum curam gerentes, discant maxime e vita et conversatione Christi Domini in terris. "Ex hominibus assumpti, pro hominibus constituuntur in iis, quæ sunt ad Deum."(1) Sacerdotis zelus sit purus ac omnis humanæ sordis expers; gentis nesciat diversitatem, et abhorreat a turpis lucri amore. Patiens sit ac perseverans, in omnibus

(1) Ad Heb. v. 1.

suaviter at fortiter agens. Prudens vero et secundum scientiam zizania evellat, bonumque semen in agro Dominico spargat. "Ipsi enim pervigilant" ait Apostolus de præpositis gregis, "quasi rationem pro animabus vestris reddituri."(1)

24. Quum immania scandala ex nimia potatione oriantur, hortamur Sacerdotes et obsecramus ut omne studium ad ebrietatis vitium eliminandum adhibeant. Hunc in finem sæpe potuum inebriantium mercatores moneant ut neque ebriosis neque junioribus potum præbeant, atque ut cauponas suas die Dominico clausas teneant; inducant quos potuerint fideles ut a potibus inebriantibus etiam totaliter abstineant vel privatim, vel in societatibus temperantiæ infra (33, 4°) describendis; omnibus et verbo et exemplo auctores sint ut in hac periculosa re moderationem sectentur.

25. Quoniam sub gravi tenentur Christi fideles diebus quoque Festis de præcepto Missam audire, non omittant curam animarum habentes ea Festa populo Dominica præcedenti annuntiare. Similiter proclament jejunium servandum tempore Quadragesimali, feriis sextis Adventus, Quatuor Temporibus et Vigiliis quorumdam festorum. Fidelibus quoque nonnumquam ut actum pœnitentiæ et ut Fidei professionem in memoriam revocent abstinentiam a carnibus feriis sextis per annum observandam.

26. Dies Dominica fidelibus sincere observanda frequenter commendetur. In ea non tantum ab operibus servilibus abstinere moneantur, atque Missam sub gravi præceptam audire, sed et devotionibus vacare, atque omnia prohibita, imo et periculosa avocamenta devitare. Ferventi præsertim zelo inducantur ut hoc sancto die generose omittant commercium et frequentationem cauponarum, ex quibus pro nostratibus tot mala scaturiunt.

27. A theatris et scenicis ludis, utpote qui haud raro periculis pleni sunt, fideles suos prudenter avertant, ac præsertim choreas immodestas insectentur tum Confessarii tum Rectores.

28. Cum experientia compertum sit saluberrimos ex Sacris Missionibus fructus provenire, Rectoribus maxime commendamus ut semel intra tres quatuorve annos Exercitiorum Spiritualium beneficia suis ovibus procurent.

(1) Ad Heb. xiii. 17.

29. Ut festivitates, quæ in piarum causarum augmentum sæpe habentur, expertes sint omnis scandali et ludibrii, Rectores omni qua par est diligentia ac zelo invigilent. Nostram licentiam præviam pro singulis vicibus obtineant in scriptis, conditionibusque a Nobis impositis sese strictissime conforment. Inter has conditiones hanc semper inclusam volumus, ne iis in conventibus, ullus potus inebrians (liquors, wines or beer of any kind) qualibet ratione venalis præbeatur. Hæc prohibitio se extendit ad illas etiam festivitates quæ non nomine quidem Ecclesiæ, sed in fraudem legis, sub alio aliquo titulo aguntur, ita ut vetamus, ne pecuniæ, hujusmodi conventibus comparatæ, in usum Ecclesiæ accipiantur.

30. Ne audeant ipsæ sodalitates, aliæve societates cum ecclesiis conjunctæ, festivitates istas absque Nostra licentia, ut supra pro singulis vicibus obtenta, instituere.

31. Festivitates vero, quæ vulgo *Picnics* et *Excursions* audiunt, propter pericula animæ et corporis eis annexa, de medio tollantur omnino optamus.

32. Omnes qualescumque supradictæ festivitates omnino prohibentur diebus Dominicis, festivis de præcepto, necnon et esurialibus. Caveant insuper Sacerdotes ne festivitates in hortis unquam protrahantur ad noctem, et ne aliæ, uti sunt *Soirées*, *Fairs*, etc., desinant in choreas. Quod si sic habitæ fuerint a societatibus quæ non subsunt auctoritati Rectoris, omnino vetamus quominus pecunia per eas comparata pro ullo opere cum missione connexo acceptetur.

CAPUT QUINTUM.

DE PIIS ASSOCIATIONIBUS.

33. Meminerint Sacerdotes omnino necessarium esse ut adhæreant legibus latis a Sede Apostolica vel a SS. Congregationibus Rituum et Indulgentiarum circa confraternitatum erectionem atque regulas ab ipsis servandas, ne, fideles indulgentiis aliove spirituali favore priventur, si quam in ea re negligentiam Sacerdotes admiserint. Documentum erectionis canonice factæ duplex conscribatur; unum appendendum in sacristia, alterum ad Cancellarium transmittendum, quod in archivis Nostris servetur. Ut in his omnibus tuto procedant, Rectores consulant librum Rev. T. A.

Maurel cum titulo: *The Christian Instructed in the Nature and Use of Indulgences.* Maximo cum studio foveantur:

(1°) Confraternitas B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo; Confraternitas SS. Rosarii, aliæque in honorem B. Mariæ Virginis, ab Ecclesia approbatæ; Societas quoque sub titulo Sanctæ Familiæ.

(2°) Confraternitas SS Nominis Dei ad exstirpationem blasphemiæ, et Associatio dicta "Unio SS. Cordis Jesu."

(3°) Sodalitates piæ adolescentium utriusque sexus, sed præcipue puerorum. Hi enim aliter, ut tristis docet experientia, vix perseverant in frequentatione ecclesiæ et Sacramentorum susceptione.

(4°) Societates Temperantiæ, sive moderatum usum potus inebriantis permittant, sive totalem adoptent abstinentiam, modo principiis Christianis nitantur et in spiritu ac statutis vere sint Catholicæ.

(5°) Societas a S. Vincentio a Paulo dicta, quæ nostris temporibus adeo accommodata videtur, et non tantum bono temporali ac spirituali pauperum providet, sed ipsos sodales ferventiores reddit; et Sodalitas Tertii Ordinis sæcularis S^{i} Francisci.

(6°) Societas pro Propagatione Fidei. Hæc pia Associatio, inde ab ejus institutione a Summis Pontificibus laudibus elata, indulgentiis ac favoribus ditata, a plerisque Episcopis sive Europæ, sive harum et aliarum mundi partium Christifidelibus commendata, etiam a Nobis specialem meretur mentionem, cum ob excellentiam sui finis, qui est salus æterna tot nationum adhuc in tenebris et umbra mortis sedentium, tum ob memoriam beneficiorum, quæ Diœceses Nostræ olim ab ea acceperunt, et quæ aliæ hujus regionis Diœceses, in egestate versantes, adhuc recipiunt. Idcirco votis obsequentes fel. regn. Summi Pontificis Leonis XIII., et precibus directorum ipsius Societatis, in hac Diœcesi Sacerdotem designavimus, qui Associationis extensioni allaborabit, eleemosynas in missionibus collectas recipiet, easque tempore congruo ad Societatis Directionem transmittet. Rectores vero missionum hortamur ut in suo quisque districtu, ubi id nondum est factum, Associationem hanc piam instituant et foveant, vel saltem collectam annuam in ejus favorem præscriptam diligenter faciant.

(7°) Societas S. Infantiæ, pro procurandis Baptismo et pia educatione, infantium a suis parentibus derelictorum, in imperio Sinensi et vicinis regionibus. Hæc Associatio, Ecclesiæ admodum cara, facile propagari potest, præsertim inter pueros puellasque Catholicarum scholarum.

(8°) Omnigenæ demum aliæ associationes Catholicæ et confraternitates foveri poterunt, quas zelus erigendas suaserit, dummodo tendant omnes ad augmentum religionis in membris, statutaque earum et directionis regulæ fuerint ab Ordinario approbatæ, atque tandem hæc statuta inconsulto Ordinario, non mutentur. Cavendum tamen etiam, ne talium societatum, quamvis bonarum, numerus in singulis missionibus nimis accrescat, cum secus una alterius efficaciæ facile esset obstaculo.

34. Vigilent Sacerdotes, ne sodalitates utriuscumque sexus ad pietatem fovendam atque augendam institutæ, principii sui immemores, a fine suo primario declinent et in societates conviviales degenerent.

35. Associationes hic recensitæ, et aliæ, quæ supra No. 33 § (8) sunt descriptæ, tanquam vere Catholicæ haberi possunt. Cæteræ vero, etiam aliunde bonæ, ut Catholicæ non agnoscentur, neque in ecclesiis, aut ad processiones religiosas admittentur ut societates, id est, dum socii insignia societatis gerunt, exceptis tamen ordinibus militaribus et municipalibus.

CAPTUT SEXTUM.

DE INSTITUTIONE JUVENTUTIS.

36. Cum Juventutis instituendæ ratio scholis publicis propria et peculiaris (ita S. Congr. Universalis Inquisitionis, in Instructione ad Episcopos Statuum Fœderatorum Amer. Sept., a Pio IX. b. m. die 24ª Nov., 1875, approbata et confirmata) sit ex se periculi plena et perquam adversa rei Catholicæ, oportet "ut Sacrorum Antistites, quacumque possint ope atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc, omnium consensu, nihil tam necessarium, quam ut Catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores.

37. "Scholis igitur Catholicis sive condendis ubi defuerint, sive amplificandis et perfectius instruendis parandisque, ut institutione ac disciplina scholas publicas adæquent, omni cura prospiciendum est. . . . Sumptus tanto operi necessarii ut eo libentius atque abundantius suppeditentur a fidelibus, opportune oblata occasione, sive

concionibus sive privatis colloquiis, serio necesse est ut ipsi commonefiant, sese officio suo graviter defuturos, nisi omni qua possunt cura impensaque scholis Catholicis providerint."(1)

38. Igitur legi obsequentes in Concilio Plenario III. pro omnibus Nostris diœcesibus latæ, præcipimus ut absque ulteriori dilatione, ubicumque id non fuerit prorsus impossibile, in omnibus missionibus, iis hucusque destitutis, Scholæ erigantur parochiales, quæ universis pueris et puellis ad missionem pertinentibus instructionem profanam simul et religiosam procurare queant. Sicubi per adjuncta id nimis difficile visum fuerit, res nobis discernenda subjicietur. Erexisse autem Scholas non sufficiat, sed cuncti Diœcesis Nostræ Rectores omni quo poterunt modo curent ut erectas et institutas omnibus viribus foveant, promoveant atque perficiant. Post SS. Sacrificium, Sacramentorum administrationem, verbique Dei prædicationem, scholæ curam omnibus aliis officii sui muneribus anteponant. Nil, nisi quod sit absolute necessarium, incipiatur sive in ecclesia sive in domo parochiali, antequam schola Catholica habeatur et florescat. Eo vero totos sese conferant ut schola parochialis non solum quoad disciplinam, sed etiam quoad sæcularem instructionem scholis publicis antecellat.

39. Omnes parentes Catholici prolem suam ad scholas parochiales mittere tenentur, nisi vel domi vel in aliis scholis Catholicis Christianæ filiorum suorum educationi quantum necesse est, consulant, aut ob causam sufficientem, ab Episcopo sive in communi sive in individuo approbatam, eos ad alias scholas mittere sinantur.

40. Quod magnopere commendarunt Patres Concilii Plenarii II. n. 432, præfata Sacra Congregatio iterum inculcat, ut scilicet e congregationibus religiosis sodales, sive viri sive mulieres, in opus scholarum adhibeantur. Monent præterea Patres supradicti: "Quod si sæcularibus hominibus munus instituendæ pueritiæ committendum sit, ii tantum ad hoc opus eligantur, qui non tantum scientia præstent, sed etiam fide, moribus, et vita probatissima inter cæteros emineant."

41. Secundum decretum Concilii Plenarii III. institutam antea prorogamus "Diœcesanam Commissionem Examinationis" cujus erit magistros ac magistras, sive religiosi sint ad aliquam con-

(1) Conc. Plen. Balt. in App. p. 279.

gregationem Diœcesanam pertinentes, sive sæculares, qui munere docendi in Scholis parochialibus fungi cupiunt, juxta regulas in Concilio descriptas, examinare, eisque testimonium seu diploma idoneitatis concedere. Similiter pro locorum et linguarum diversitate plures creavimus "Scholarum Commissiones," ex pluribus sacerdotibus compositas, ad Scholas in civitatibus et districtibus ruralibus examinandas. Munus earum est semel vel etiam bis in anno unamquamque Scholam districtus sui visitare et examinare, atque accuratam de statu Scholarum relationem ad præsidem Commissionis Diœcesanæ pro notitia et actione Episcopi transmittere.

42. Catechesis seu adolescentulorum instructio in religione catholica, gravissimum est Sacerdotum munus. Propterea pueros puellasque usque ad secundum post Primam Communionem annum in propriam Ecclesiam Dominicis aliisque diebus festivis, et quandoque etiam sæpius Rectores convocent, ut eos elementa Christianæ doctrinæ studiose et deligenter edoceant. Ubi nullæ scholæ catholicæ existunt, Rectores omnes parœciæ pueros et puellas bis saltem in hebdomada convocabunt et christiana doctrina instruent. Cum Catechismo Historia quoque Sacra Utriusque Testamenti exponatur. Hoc vero munus Rector ipse per se vel per Vicarium suum exequatur. Parentes omnibus, quibus poterit, modis inducat, ut partes suas agant. Eos hortamentis excitet, minis terrefaciat, precibus exoret, ut liberos statuto catecheseos tempore ad ecclesiam vel locum destinatum mittant.

43. In omnibus scholis et catechesibus adhibeatur Catechismus, jussu Concilii Plenarii III præparatus, sive in lingua originali Anglica, sive in versionibus ab ecclesiastica auctoritate rite approbatis.

44. Omnibus animarum curam gerentibus in Domino injungimus, ut saltem quater in anno, et, si fieri possit, Quatuor Temporum Feriis, pueros omnes, spirituali ipsorum curæ commissos, qui nondum Sacræ Eucharistiæ participes facti sunt, in unum colligant, et per aliquot dies in doctrina Christiana erudiant, eosque, qui ad septennium pervenerint, ad Confessionem accedere curent. Qui vero ætatem attigerint ut Panem Cœlestem discernere valeant, ad primam Communionem omni adhibita diligentia disponantur. Hanc rem maximi momenti Rectorum prudentiæ et zelo enixe commendamus.

45. Ex pueris et puellis, qui prima adhuc vice ad Sacram Mensam accedere debent, Rectores eos singulis annis ad eam sedulo præpar-

ent, quos propter ætatem ac sufficientem spiritualium intelligentiam capaces fore judicaverint. Ad hoc per annum integrum antecedentem, semel saltem in hebdomada, et ter, si fieri possit, in unaquaque hebdomada per mensem cum dimidio ante Communionis diem ad catechesim vocentur, ac doctrinam christianam, de Sacramentis præsertim, edoceantur.

46. Per triduum autem primam Communionem antecedens, tum exercitationibus piis, tum generali potissimum confessione, proxime ad eam disponantur; ipsa vero die, solemnitate maxima Divinum Panem sumant, cuncto inspectante populo, et præsertim parentibus, quorum curæ postea animæ istæ, cœlesti convivio refectæ, erunt ferventissimo charitatis zelo a Rectoribus commendandæ.

47. Meminerint vero Sacerdotes tantam non desiderari ætatem ut quis in articulo mortis Sanctissimo Viatico possit et debeat muniri, et minime dubitent illis pueris hunc animæ Cibum præbere, qui Divinum Panem satis a vulgari discernere didicerint, quosque aliquo erga illum pietatis sensu affici cognoverint.

CAPUT SEPTIMUM.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

48. Cum tanta sit Sacramentorum dignitas et utilitas ad sanctificationem animarum, pro quibus non dubitavit Christus Dominus Sanguinem Suum fundere Crucisque subire tormentum, quam maxime juvat ut Divini Verbi præcones frequenter ad populum sermonem de illis habeant, scilicet, eorum institutionem, necessitatem, præcellentem dignitatem et miram efficaciam fidelibus exponendo, eosque de requisitis dispositionibus ad uberes gratias per illa recipiendas accurate edocendo.

49. Et ne, in sacris tractandis, per negligentiam vel incuriam Sacerdotum, populi fides aut pietas imminuatur, præcipimus ut in iis administrandis præscriptas in Rituali Romano cæremonias, stricte observent; nihil omnino addentes, nihil detrahentes, et manus puras ab omni simoniæ labe et avaritiæ suspicione continentes.

50. Quum omnia secundum ordinem fieri debeant, nullus Sacerdos, nisi adsit periculum, aut urgeat necessitas, extra limites sui districtus seu alienæ congregationis fidelibus Sacramenta, præter Poenitentiam,

administrare præsumat, absque proprii Rectoris aut Nostra speciali licentia. Quod si, sive merito sive immerito, fecerit, oblationes consuetas, occasione Baptismi vel Matrimonii acceptas, titulo justitiæ transmitti præcipimus Rectori cujus fuisset hæc Sacramenta ministrare.

51. Hac autem in parte inolevit consuetudo, ut iis, qui in aliqua ecclesia scamna vel sedem habent, ab ejusdem ecclesiæ Sacerdotibus omnia Sacramenta administrentur, etiamsi domicilium illi habeant intra limites alienæ ecclesiæ. Attamen, ut hoc gaudeant privilegio fideles, volumus ut in ista ecclesia per tres menses anteactos, bona fide et non in fraudem legis, scamna aut sedem conducta habuerint, aut quisque pro se, aut ad summum parentes pro suæ quoque familiæ membris.

52. Statuimus, juxta Ritualis præscriptum, in Sacramentis administrandis, a Sacerdotibus omnino adhibendam esse linguam Latinam, et si quædam lingua vernacula reddere quis explicationis causa voluerit, ea prius Latine recitanda esse sciat. In Baptismo tamen permittuntur sponsores respondere lingua vernacula, et ipsum Rituale jubet sponsos in Matrimonii celebratione vulgari sermone de consensu interrogari.

53. Oleum Sacrum infirmorum asservetur in armario (*ambry*) exstructo in ipsa ecclesia, prope altare majus, in facie lampadis SS. Sacramenti, vel solum, vel cum sacro Chrismate et S. Oleo Catechumenorum, si pro his non fuerit armarium proprium prope baptisterium.

54. Volumus ut in qualibet ecclesia habeatur Sacrarium, sive locus specialiter designatus et comparatus, in quem ablutiones corporalium et vasorum sacrorum, aqua baptismalis jam adhibita, cæteraque hujusmodi, juxta rubricarum præscripta immittantur.

CAPUT OCTAVUM.

DE BAPTISMO.

55. "Magnis nos mysteriis dignatus est Unigenitus Filius Dei; magnis et quibus digni non eramus, sed quæ decebat illum dare." Inter hæc mysteria primum locum obtinet Baptismatis Sacramentum, sine quo nemini patet aditus in regnum cœlorum. Detestabilem ergo parentum Catholicorum socordiam, qui parvulorum

ætatem, tot casibus obnoxiam, non statim Baptismatis Sacramento muniendam curant, volumus ut Pastores animarum acerrime ac sæpius reprehendant.

56. In unaquaque hujus Diœcesis ecclesia ubi Baptismi Sacramentum ordinarie administratur, Fontem baptismalem sub clavi, si nondum existat, quamprimum erigendum statuimus. Prope Fontem omnia, quæ ad Baptismi administrationem pertinent, nitide servari debent.

57. Privatis in ædibus, nisi urgente summa necessitate, Baptismum administrari prohibemus. Liceat tamen, instante periculo, Sacerdoti, sed absque solemnitate, vel etiam, eo absente, aliis quibuscumque domi baptizare; hoc pacto, ut baptizatus, si supervixerit, quum primum licuerit, ad ecclesiam deferatur, ubi cæremoniæ Baptismi, quæ omissæ fuerunt, debite suppleantur.

58. Liceat id etiam, et quidem solemniter, quando ob itineris longitudinem vel difficultatem parentibus et patrinis nimis grave foret infantulos ad ecclesiam deferre baptizandos. Etiam conceditur ut Baptismus solemniter administretur in ædibus Sacerdotis, quando ex Baptismo collato in ecclesia magna sequerentur incommoda, sive ipsi Sacerdoti sive proli baptizandæ. De hoc erit Sacerdotis prudentiæ judicare.

59. Sub gravi, unus saltem Patrinus, sive vir sive mulier sit, in Baptismo solemni adhiberi debet. Neque licet plures quam duos adhiberi, quorum unus sit vir, altera mulier. Cumque officium sponsorum sit, si parentes id non præstent, providere ut parvulus, quum ad usum rationis pervenerit, in veræ fidei elementis et religione Catholica instituatur, caveant Sacerdotes ne ad hoc munus admittant infideles aut hæreticos; publice excommunicatos, aut interdictos; publice criminosos, aut infames; aut præterea, qui sana mente non sunt, aut qui ignorant rudimenta fidei, sed ii potius seligantur, qui ætate, judicio et moribus sint commendabiles et oneri idonei.

60. Censemus baptizandos esse infantes acatholicorum, quos ipsi parentes ad id afferunt, quoties probabilis affulget spes Catholicæ eorum educationis. Curandum autem omnino est, ut Patrinus, vel Matrina, iique Catholici habeantur. Meminerit quoque Sacerdos, in mortis periculo, quotiescumque occasio se obtulerit, omnes infantes baptizari non solum posse, sed etiam debere.

61. Ideo curetur ut ipsi laici, imprimis vero obstetrices et nutrices, et, quantum fieri poterit, medici bene calleant modum privati Baptismatis conferendi, ut illud in casu necessitatis administrare sciant.

62. In conversis ab hæresi ad fidem excipiendis, ea omnia servari volumus, quæ in Instructione Congr. S. Officii, die 20 Julii, an. 1859, habentur. *Vid. Conc. Pl. Balt. II. pag.* 291, *et Conc. Plen. III. nn* 120–122.

63. Meminerint Sacerdotes, nonnisi aquam baptismalem in hoc Sacramento conficiendo, extra casum necessitatis, adhibendam esse. Tenore facultatum a Sancta Sede concessarum, missionariis licitum est aquam baptismalem juxta breviorem formulam in Rituali insertam benedicere.

64. Curent Rectores ut, si fieri possit, Sabbato Sancto cujusque anni, ad Fontem Baptismalem benedicendum, novis Oleis sacris non careant. Isto enim die et Sabbato etiam Pentecostes volumus ut in omnibus missionum Nostrarum ecclesiis, ubi hæc solemnitas peragi potest, aqua fontis baptismalis rite consecretur.

65. Singulis Rectoribus erit Liber vel Regiſter apud ecclesiam servandus, in quo baptizatorum, eorumdemque patris et matris, patrini et matrinæ nomina et cognomina, necnon infantium nativitatis et baptismatis diem et locum describent.

66. Ne, ex alicujus avaritia, occasione Baptismi, introducatur abusus, et ne cui Sacramentum, omnino necessarium, non conferatur, nullæ pactiones de oblationibus ante Baptismum ineantur. Vetamus igitur, et sub pœna quidem suspensionis, ne infantem baptizare recuset Sacerdos sub prætextu defectus aut subtractionis oblationum. Ea vero, quæ post collatum Baptisma vel Matrimonium a fidelibus offerantur, Sacerdos, si velit, accipiat.

67. Benedictio mulieris post partum nunquam habeatur in domibus privatis, illis locis exceptis ubi pro publico servitio altaria non sunt. Hujusmodi benedictio denegari debet: 1°, Matri prolis illegitimæ; 2°, Mulieri, quæ fidelibus præbet scandalum; 3°, Fœminæ, quæ coram præcone acatholico Matrimonium contraxerit, scandalo nondum reparato.

CAPUT NONUM.

DE CONFIRMATIONE.

68. Consuetudinem in hac Diœcesi vigentem, qua nemo ad Confirmationis Sacramentum accipiendum admittitur, nisi, præmisso examine, aptus a Rectore repertus, et ad sacram Synaxim jam admissus fuerit, omnino approbamus, ac in posterum retinendam statuimus.

69. Confirmatorum registrum perinde ac baptizatorum unusquisque Rector pro ecclesia sua habebit.

70. Confirmandi habebunt Patrinos, singuli singulos. Quod si hoc fieri nequeat, saltem duo pro pueris Patrini, et duæ pro puellis Matrinæ adhibeantur.

CAPUT DECIMUM.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

71. Omnem sollicitudinem ac religionem collocent Sacerdotes in observandis iis omnibus, quæ tum in Missali tum in Rituali de hoc Sacramento, atque Altaris Sacrificio rite colendo, custodiendo et administrando, peragenda præscribuntur.

72. Purissima et aptissima sit panis et vini materia, quæ ad augustum Sacramentum conficiendum adhibetur. Hostiæ sint ex triticea farina et aqua naturali confectæ, recentes, macularum expertes, non nimis tenues. Summam quoque sollicitudinem adhibeant Rectores, ut vinum certo genuinum ad Sacrificium procuretur.

73. Meminerint Sacerdotes sibi non licere SS. Eucharistiam apud se retinere aut secum deferre, nisi necessitas eam ægrotis administrandi occurrat. Quo in casu, maxima se gerant reverentia, atque ab omni vano et non necessario colloquio abstineant.

74. Vasculum, in quo defertur SS. Sacramentum, reponatur in bursa decenter ornata, quæ a collo pendeat, atque ante pectus retineatur.

75. Corporalia parva et purificatoria, quæ in SS. Sacramento infirmis deferendo adhibentur, munda sint et nitida.

76. Redeuntes a domo ægrotantium sacras Particulas, quæ forte supersint, in ciborium statim reponant.

77. In omnibus ecclesiis, in quibus Sacrosancta Eucharistia servatur, lampas ex oleo olivarum vel aliis oleis, in quantum fieri potest vegetabilibus, nutrita, diu noctuque, juxta Ritualis monitum, coram tabernaculo indesinenter luceat.

78. Tabernaculum, in quo servatur Sanctissimum, regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus et extra velo serico contectum. Non sit versatile, sed ostio versatili munitum. Tam solide sit constructum et tam firma sera munitum ut, quantum fieri potest, a sacrilega intrusione vel effractione plene sit securum. Ciborium seu pyxis, in qua habetur Sacra Eucharistia, sit saltem argentata, intus deaurata et suo operculo bene clausa, albo etiam velo serico cooperta, ac super corporali nitido semper reposita.

79. Neque vasa SS. Oleorum, neque reliquias Sanctorum, nec aliud quidquam in tabernaculo reponere licet. Nil ante tabernaculum ponatur et nil supra, nisi imago Crucifixi. Clavi obseretur tabernaculum, quæ, quando fieri potest, ab ipso Sacerdote custodiatur.

80. Ubi propter necessitatem Venerabile Sacramentum in ædibus Rectoris servatur, reponatur in oratorio decenter ornato, in quo similiter lampas ardens habeatur. Supra hunc locum nemo aut habitet aut dormiat. Quem abusum, si forte existat, eliminandum esse jubemus.

81. Rubricis Ritualis ac Cæremonialis Episcoporum inhærentes omnibus Sacerdotibus serio inculcamus, ut Particulæ minores et major Hostia semel in hebdomada renoventur, et veteres distribuantur vel consumantur.

82. Sacerdotes, citra extremam necessitatem, nunquam, nisi stola induti, vel ipsam Hostiam, vel vas sacrum in quo servatur, attrectent. Quum Sanctissimum e tabernaculo extrahunt, nisi gravis causa excuset, semper superpelliceo et stola sint vestiti, ac prius lumen in altari accendi curent.

83. Summopere curandum est animarum Rectoribus ut erga Dominum Nostrum, in Eucharistia præsentem, fidelium devotionem

ac venerationem sæpissime inculcent ac foveant; eosque ad frequentem Communionem et Sacramenti visitationem, verbo et exemplo, sedulo hortentur.

84. Ea de causa infirmis omnibus capacibus SS. Viaticum tempestive deferatur. Si vero eadem perdurat infirmitas, in ea potest et debet Sacra Communio per modum Viatici iterum ac tertio et pluries administrari, præsertim si ipsimet ægrotantes cœlestem hunc panem esuriunt; sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum non deferatur.

85. In foro externo, Catholicis, rationis usu sufficienti gaudentibus, si publice petant, Sacra Communio numquam denegetur, nisi publici peccatores sint, aut notorie indigni.

CAPUT UNDECIMUM.

DE PŒNITENTIA.

86. Nullus sacerdos hac in Diœcesi confessiones sæcularium aut personarum Regularium Nobis subditarum extra mortis articulum excipere præsumat nisi a Nobis facultates obtinuerit.

87. Ad valide absolvendas religiosas, illis exceptis quæ justa de causa extra monasterium suum versantur, specialis a Nobis requiritur facultas. Item intra religiosarum domos confessiones personarum sæcularum ibi degentium, sine venia speciali excipere non licet.

88. Magnum et arduum est munus quod ministro Sacramenti Pœnitentiæ incumbit. Sacerdos igitur, ad illud exercendum accessurus, singulas quas agere oportet partes, judicis nempe, doctoris, medici, ac patris serio mente recolat; singulasque, quantum in ipso est, re et opere exsequi studeat. Justitiæ et misericordiæ minister a Deo constitutus, caveat neve severitate, neve indulgentia excedat, sed justam mediocritatem teneat.

89; Sigillum scrupulose servetur; cum aliis, sive laicis sive etiam clericis, in familiari colloquio de rebus in sacro tribunali auditis nunquam sermo fiat; nec unquam a pœnitente petatur venia, quæ in confessione audita sunt, aliis revelandi. Si manifestandi aliquid detur necessitas, id per ipsum pœnitentem fiat, vel per alium quem idem elegerit. Nullo modo Sacerdos id oneris ultro suscipiat, neque nisi invitus pœnitenti id ab eo postulanti morem gerat.

90. Raro confitentes, eosque, qui vel teneræ ætatis vel rudioris ingenii sunt, præsertim si id ipsi petant, Confessarius interrogando adjuvet; caute tamen, et, quando de peccatis contra castitatem agitur, caste ac parce valde. Ne nomen complicis, imo nec pœnitentis inquirat. De rebus a confessione alienis non loquatur ipse, nec loqui pœnitentem permittat.

91. Suaviter et paterne cum omnibus, etiam rudissimis, procedat, nec unquam iracundiæ pareat. A gemitu, et vocis elatione, et ab omni alio strepitu inter audiendum abstineat, ne pœnitenti molestia afferatur, aut adstantibus vel minima fiat revelatio. Si qui forsan imparati accedant, sua qua possit charitate et diligentia, paratos reddat ac dignos qui absolvantur.

92. Nemo pœnitentem inducat ad sibi soli confitendum; nec, libertas, hac in re fidelibus a Christo et ab Ecclesia concessa, unquam ullo modo minuatur. Hinc optime facient Rectores, si identidem Confessarios extraneos in suum adjutorium vocent.

93. Rectores et alii Confessarii semper paratissimos se exhibeant ad fidelium confessiones excipiendas, maxime diebus sabbati, vigiliisque festorum, et, quantum rerum adjuncta sinant, singulis diebus feriatis, mane post vel ante missam lectam.

94. Pœnitentiæ impositæ sint peccatis proportionatæ, salutares, non nimis diuturnæ aut difficiliores, non publicæ pro peccatis occultis, sed tales quas, habita ratione status, conditionis, sexus, et ætatis et item dispositionis pœnitentium, prudentia et Spiritus Dei suggesserint.

95. "Pœnitentias pecuniarias," ut in Rituali Romano monetur, sibi ipsis Confessarii non applicent, neque a pœnitentibus quidquam, tanquam ministerii sui præmium, petant vel accipiant. Etiam quocumque nomine ultro oblata recusent, nec vel ipsam Missæ eleemosynam in hoc Sacro Tribunali offerri sinant.

96. In omnibus hujus Diœcesis ecclesiis confessionalia loco patenti et publico, juxta Rituale et Concilii Balt. decretum, erigenda sunt, extra quæ mulierum et puellarum confessiones accipere non licebit, nisi quando de ægrotis, vel surdis, vel ætate decrepitis agitur. Quod si in missionibus procul ab ecclesiis aliquando necesse fuerit confessiones mulierum in domibus privatis excipere, omnino necesse

est ut locus sit patens et publicus; et crates perforatæ, quatenus fieri potest, adhibendæ erunt. Vigilentque Rectores ut, occasione Exercitiorum Spiritualium vel Devotionis Quadraginta Horarum, provideantur pro mulierum confessionibus audiendis crates numero sufficienti juxta numerum Sacerdotum confessiones excipientium.

97. Sacerdotes monemus ne sacrum munus confessiones audiendi obeant, nisi veste talari ac stola, et, quando fieri potest, etiam superpelliceo induti.

98. Quidam casus reservati sunt, a quibus nemo, sive regularis, sive sæcularis, sine speciali et expressa facultate a Nobis concessa, absolvere potest. Meminerint ergo Confessarii se non habere facultatem absolvendi:

(1°) Ab hæresi, et apostasia a fide, et a schismate, eos, qui in loco ubi Sanctum Officium exercetur, v.g. Romæ, deliquerint;

(2°) Complices sibi in quolibet peccato mortali externo contra castitatem;

(3°) Sacerdotem, qui complicem sibi in hujusmodi peccato absolverit;

(4°) Sacerdotem omnem, qui in confessionali, aut occasione vel prætextu confessionis, ad peccandum contra castitatem sollicitaverit;

(5°) Personam sollicitatam, nisi prius sollicitantem Ordinario denuntiaverit;

(6°) Personam cujuscumque sexus, quæ Sacerdotem aliquem falso de sollicitatione denuntiaverit;

(7°) Catholicum, qui novum Matrimonium, conjuge superstite, contrahere attentaverit, et inde in excommunicationem inciderit.

(8°) Personam Catholicam, quæ vel cum parte Catholica vel cum acatholica coram præcone hæretico Matrimonium contrahere attentaverit, quæque pœnam excommunicationis exinde incurrerit;

(9°) Catholicos sive in templis hæreticorum, sive in synagogis Judæorum, officium organistæ vel cantoris exercentes, nisi constet illos hujusmodi munus reliquisse.

(10°) Franco-Muratores, Socios Singulares (Odd Fellows), Filios Temperantiæ, et Equites Pythiæ, donec ab illis societatibus sese prorsus amoverint.

99. Quotiescumque de casibus reservatis agitur, illi, qui in eos inciderint, ad Nos absolvendi mittantur, nisi gravi de causa excusandi judicentur. Quod si Confessarii facultatem absolvendi a censura petant, rationes in medium proferant cur ipsi pœnitentes Ordinarium non adeant.

100. Sacerdotes, qui vi facultatis a Nobis habitæ a censuris in casibus notoriis absolvunt, id sæpe utiliter facient in publico fidelium cœtu, convenienti prius injuncta et accepta pœnitentia.

CAPUT DUODECIMUM.

DE EXTREMA UNCTIONE.

101. Sacerdotes ægrotos opportune visitare debent, eosque hortari ut Sacramentum Extremæ Unctionis suscipiant dum gaudent usu rationis, quo uberiorem ejus fructum percipere possint. Cumque, teste Sancto Jacobo, inter præclaros hujus unctionis effectus sit non solum purgatio animæ a peccatis, sed etiam sanitatis corporalis restitutio, non negligant animarum moderatores refellere insulsissimam quorumdam opinionem, receptionem hujus Sacramenti mortis impendentis esse indicium.

102. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit, id est, uti explicat Benedictus XIV: "Si, durante eadem infirmitate, post susceptam Extremam Unctionem, morbus ita remittat ut ægrotus mortis periculum evasisse videatur, sed, antequam convalescat, iterum in vitæ discrimen relabatur, juxta præsentem disciplinam, poterit, sine scrupulo, denuo sacra Unctione muniri."

103. Nunquam licet Rectori in suo districtu negare ultima Sacramenta alicui moribundo, sub prætextu, quod is, avaritia ductus, nunquam voluerit aliquid conferre in subsidium ecclesiæ vel Cleri.

104. Non erit contentus bonus Sacerdos ea tantum infirmorum visitatione, in qua Sacramenta confert, sed pluries eos visitabit, cum eis orabit, ad actus Contritionis, Fidei, Spei, Caritatis et Conformitatis voluntati Divinæ eorum animum excitabit, et, elicito ab eis, si possit, novo Confessionis et Contritionis actu, nova eos identidem absolutione donabit.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE ORDINE.

105. Rectores vocationi puerorum bene invigilent, ut, si quos statui clericali aptos judicaverint, multa cura foveant, ne cor illorum mundano pulvere sordescat.

106. Testimonia autem vitæ et morum danda juvenibus, seminarium ingredi cupientibus, coram Domino scribant. Eadem cura exarent testimonia alumnis seminarii tradenda ad finem singularum feriarum. Infra ferias autem paterna sollicitudine super eos invigilent. Eosdem jam adhibeant ad tradendum puerulis catechismum, chori officiis inserviendum, cæteraque id genus ministeria ecclesiastica exercenda.

107. Quotannis examen in scriptis de rebus theologicis et aliis, quæ statui clericali competunt, coram deputatis Nostris instituetur. Huic examini interesse tenebuntur omnes Sacerdotes, qui a die ordinationis suæ necdum annum quintum expleverint. Ut vero nullus ex præfatis Sacerdotibus hoc examen subire negligat, monitos eos volumus, illorum jurisdictionem cessaturam esse ab hac die et hac hora, quibus a Nobis examen indictum fuerit. Eorum vero omnium, qui indicto examini interfuerint, hujus vigore jurisdictio prorogabitur usque ad examen anni sequentis, nisi aliter Nobis visum fuerit. Si qui, ob justam et rationabilem causam, examini interesse non possint, tempestive exemptionem a Nobis petere debent, quibus, in hoc casu, examinis particularis diem et locum indicemus.

108. Materia examinis singulis annis ad omnes, quos res spectat, per secretarium Nostrum destinabitur. Eidem legi subjicientur omnes Sacerdotes sæculares, qui ex alia diœcesi a Nobis admissi fuerint.

109. Ut studio stimulus non desit, collationes in causis moralibus et de aliis materiis theologicis, liturgicisque juxta modum et methodum in Concilio Plenario III. descriptam, quater vel bis saltem in anno, ab omnibus Sacerdotibus, in locis a Nobis designandis habebuntur.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

DE MATRIMONIO.

110. Meminerint Rectores, proclamationes intra Missarum solemnia tribus diebus festivis faciendas, antequam nuptiæ contrahantur. Indulgemus autem ad tempus ut quilibet Sacerdos possit ab una proclamatione dispensare.

111. Dum inituri Matrimonium diversi sunt districtus, proclamationes faciendæ sunt in ecclesia parochiali utriusque sponsi, et unus Rector alterum, coram quo nuptiæ contrahendæ sunt, de proclamationibus factis monere debet. Porro quamvis, juxta disciplinam Ecclesiæ communem, nuptiæ coram Rectore sive viri sive fœminæ celebrari possint, attamen consuetudini in hac Diœcesi diu vigenti morem gerentes, permittimus ad tempus ut Matrimonium coram mulieris Rectore dumtaxat celebrari liceat.

112. In Matrimoniis inter partes, quarum una est acatholica, petitio pro dispensatione supra quodcumque impedimentum a Rectore partis Catholicæ semper facienda est, et Matrimonium coram illo celebrandum, nisi contrahentes in locis ab invicem longe dissitis domicilium habeant, quo in casu nuptiæ coram Rectore civitatis vel districtus, in quo degit mulier acatholica, fieri possunt.

113. Intra ecclesiam et Missarum solemnia, quando fieri potest, Matrimonia celebrari convenit, curabuntque Parochi ut fideles ad hoc Sacramentum bene parati accedant.

114. Matrimonia nunquam, sine prævia a Nobis obtenta licentia, celebrentur in domo privata, sed aut in ecclesia, aut in ædibus Rectoris.

115. Ex recenti porro concessione Summi Pontificis, benedictio nuptialis, quæ magni profecto æstimanda est, conferri potest etiam longo post nuptias tempore, dummodo alioquin Rubricæ non obstent. Monendi vero sunt conjuges, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad validitatem conjugii pertinere. (S. Cong. Sancti Officii, 31 Aug. 1881.)

116. Nihil omittatur ut fideles a mixtis conjugiis omnino deterreantur. Hortamur igitur animarum Curatores ut semel saltem in anno, tempore præsertim Adventus vel Quadragesimæ, gravi sermone

greges sibi commissos mala, quæ ex iis pullulant, edoceant, simulque fidei pericula indicent, quæ tum parti Catholicæ, tum proli suscipiendæ imminent; gravissima ostendentes fuisse rationum momenta, quibus permota Christi Ecclesia id genus nuptiarum acriter semper vetuerit, ac etiamnum vetet.

117. Quod si, propter particulares rationes, Matrimonia hujusmodi expedire videantur, sequentia diligentissime serventur: 1°, Ut nullum adsit periculum perversionis partis Catholicæ; 2°, Ut pars Catholica promittat se, in quantum poterit, laboraturam pro conversione partis acatholicæ; 3°, Ut pars acatholica, et quidem scripto, promittat Catholicæ — (a), Exercitium liberum suæ religionis; (b), Baptismum et educationem prolis utriusque sexus in fide Catholica; cujus promissionis duplex exemplar coram uno saltem teste subscribatur, unum nempe cum petitione ad Cancellariam transmittendum, alterum cum dispensatione obtenta in archivo parochiæ asservandum; 4°, Ut nupturientes non sint contracturi coram præcone hæretico. Meminerint insuper Sacerdotes pluribus SS. Pontificum decretis vetari ne ullus sacer ritus fiat, vel vestis sacra adhibeatur, dum fœdera hujusmodi ineuntur, quæ neque intra ecclesiam facienda sunt.

118. Districte prohibitum est a Concilio Plenario III. ne Catholici, intra hujus regionis limites, matrimonium, vel inter se, vel cum acatholicis, coram præconibus sectarum, ullo in rerum eventu, contrahere audeant. Quod si fecerint, noverint se ipso facto excommunicationi subjacere, a qua absolvi non poterunt nisi ab episcopo, imo a Nobis solis si subditi Nostri fuerint et in hac Diœcesi deliquerint. Simili ratione ducti nolumus Sacerdotes operam suam præstare iis, quos noverint ministrum hæreticum adituros, fœderis matrimonialis iterandi causa, vel qui, fœdere sic inito, absque pœnitentiæ indiciis, benedictionem sacerdotalem petunt.

119. Si contingat aliquem, ligamine Matrimonii vinctum, novum fœdus inire velle, eo prætextu quod prius quacumque de causa irritum fuerit, rem ad Nostrum judicium referri omnino volumus. Sacerdos, sive sæcularis sive regularis, qui, Nobis inconsultis, tales novum Matrimonium coram ipso contrahere permittit, ipso facto ab officio suspensus est.

120. Si autem attentaverit quis novum Matrimonium contrahere, conjuge superstite, licet divortio civili separatus, se ipso facto excommunicatione, Ordinario reservata, ligari noverit.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

DE CULTU DIVINO.

121. Volumus ut Sacerdotes in hac Diœcesi ad amussim observent quæ in Ordine, ut aiunt, seu Calendario annuo juxta Rubricas generales pro Fœderatis Provinciis sive Baltimoræ sive Neo-Eboraci edito, pro Missa et Officio præscribuntur.

122. Omnia Divina Officia juxta Missale et Breviarium Romanum, quantum fieri potest, integra decantentur, ideoque psalmos saltem, nullis omissis aut decurtatis, cum hymno et *Magnificat* in Vesperis cantari præcipimus.

123. Festum Patronale cujuscumque in Nostra Diœcesi ecclesiæ, sive consecrata sit, sive tantum benedicta, in posterum celebretur ritu debito, duplici nempe 1^ae^ classis cum octava, tum pro Missa tum pro Officio. Rure tamen et in oppidulis, ubi difficile esset per hebdomadam populum congregare, Festum istud quoad externam solemnitatem in Dominicam proxime sequentem transferri potest.

124. Festis diebus de præcepto, et in festis etiam recenter abrogatis, etiamsi non possent ad ecclesiam venire plerique fidelium, satagant Rectores, ritu solemni, hora solita, sicut in die Dominica, Missam celebrare necnon Vesperas cantare, quantum fieri potest.

125. Ubi duo vel plures in missione sunt Sacerdotes, ii, qui muneribus divinis forte non sunt impediti, diebus Dominicis et Festivis, Missæ Solemni et Vesperis, superpelliceo induti, adesse tenentur.

126. SS. DD. Nostro Leone PP. XIII., quem Deus quam diutissime conservet ac sospitet, præcipiente, cæteris Litaniarum Lauretanarum Beatæ Mariæ præconiis, loco ultimo, in posterum addatur invocatio: "Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis."

127. Solemnis Expositio Sanctissimi Sacramenti et Benedictio non fiat in ecclesiis, vel oratoriis, vel etiam in sacellis monasteriorum et communitatum religiosarum, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab Ordinario, et numquam repetenda Benedictio eodem die in eadem ecclesia nisi in Festo ac infra Octavam Corporis Christi. In Sanctissimi Expositione stricte servanda sunt omnia, quæ in Cæremoniali habentur.

128. Illa solemnis Benedictio fieri potest :

(1°) Singulis totius anni Dominicis diebus, aut mane aut vespere ;

(2°) Festis de præcepto, vel Festis etiam primæ et secundæ classis non de præcepto ;

(3°) Per octavam Corporis Domini tum in Missa solemni, tum in Vesperis, Benedictione iterato data ;

(4°) Bis in hebdomada tempore Quadragesimali ;

(5°) Singulis pariter diebus Sacrarum Missionum tempore ;

(6°) In Festo SS. Cordis Jesu ; item in Ejus honorem prima uniuscujusque mensis feria sexta, et in singulis feriis sextis totius mensis Junii ;

(7°) Ubicumque fit devotio Quadraginta Horarum ;

(8°) Bis in hebdomada per mensem Maium, et in aliis diebus ab Ordinario designatis.

129. Vesperæ in omnibus ecclesiis diebus Dominicis Festisque decantentur, neque ob alia exercitia pietatis omittantur. Quod si rure aliquando copia non sit eas habendi, hortamur Sacerdotes ut tempore pomeridiano pueros rudimenta fidei doceant, vel fideles concione instruant, vel alias devotiones in populi ædificationem peragant.

130. Ad præcavendos abusus, qui non raro occurrunt, decernimus ut, nisi prævia licentia a Nobis obtenta fuerit, Vesperæ et Benedictio tempestive absolvantur.

131. Ad augendam devotionem erga SS. Sacramentum, curandum est ut quotannis semel aut bis in singulis ecclesiis, quatenus fieri poterit, instituatur Quadraginta Horarum Adoratio.

132. Indulget S. Sedes ut apud nos de nocte Sanctissimum recondatur, et ut processio omittatur, si commode fieri nequeat, quin tamen fideles indulgentiis priventur.

133. Hæ indulgentiæ sunt : indulgentia partialis decem annorum totidemque quadragenarum pro pia Sanctissimi expositi visitatione, semel singulis diebus lucranda ; et indulgentia plenaria, animabus Purgatorii applicabilis, unica tantum vice lucranda, iis, qui tum ecclesiam, in qua exponitur Sanctissimum, semel saltem in triduo visitaverint, tum confessi fuerint et sacra Communione refecti.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

134. Quum tremendum Missæ sacrificium universi cultus summa sit et caput, operam suam Sacerdotes in eo collocare studeant ut ritus ac cæremonia ab Ecclesia sancita religiose serventur: quia his divini Sacrificii majestas maxime elucet, et fidelium mentes a rerum visibilium contemplatione ad cœlestia, quæ hoc mysterio teguntur, elevantur.

135. Omnia igitur pro Sacrificio rite celebrando procurent sibi Rectores. Ornamenta altarium, vestes Sacerdotis et vasa sacra sint munda; munditia quoque atque ordine supellex sacra sit conspicua. Diligenter doceantur pueri, qui altari cum ædificatione populi deserviant, ac semper, veste talari et superpelliceo induti, Missis Vesperisque intersint.

136. Nullus in hac Diœcesi Sacerdos, in Sacro peragendo, ritus alios aut cæremonias aut preces adhibeat, præter ea quæ in Missali Romano præscribuntur.

137. Prohibemus quominus quis Missam celebret veste talari non indutus, aut in domibus privatis Sacrum facere audeat absque Ordinarii licentia, nisi forsan ex locorum distantia necesse sit in iisdem stationem aliquando haberi, ut fidelibus Sacramenta ministrentur.

138. Ut fideles exactius ac libentius Divinis intersint Officiis, hæc omnia tempore, pro locorum adjunctis, opportuno, et præcise hora statuta inchoentur, nec diutius ex præpostera pietate protrahantur.

139. Juxta decretum Concilii Provincialis Neo-Eboracensis III., volumus ut nullus Sacerdos, quovis prætextu, Missam cantatam submissa voce continuet, quamdiu *Gloria* et *Credo* a choro cantantur.

140. Sacerdotes, Missam legentes aut canentes, nunquam ab altari descendant, nisi quando id permittit Rubrica; et omnino vetamus ne inter Missarum solemnia ab altari recedant, a singulis fidelibus eleemosynas accepturi, aut quid simile peracturi.

141. Nec in Missa solemni, nec in Vesperis, nec in Benedictione Sanctissimi decantetur quidquam in lingua vulgari.

142. Candelæ, quæ in cultu Divino adhibentur, sint cereæ, ubi eas Rubricæ præscribunt; duæ in Missis lectis, quatuor vel sex in Missis cantatis, et sex, ad minus, in Benedictione Sanctissimi.

143. Monemus, lumina, quæ ex aeris genere, quod dicitur *gas*, producuntur, super altari districte fuisse prohibita a Sacra Rituum Congregatione. Lumina pariter, quæ vulgo dicuntur *electrica*, in ecclesiis adhiberi vetamus, nisi omnes ab iis, qui vulgo "underwriters," vocantur, contra incendii periculum et contra vitæ quoque humanae discrimen a viris scientiæ electricæ peritis approbatæ cautelæ adhibeantur.

144. Ad vitanda non tantum incommoda, verum etiam scandala, districte prohibemus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, quominus in die Natali Domini Nostri Jesu Christi, in ulla hujus Diœceseos ecclesia, Missa coram populo ante quartam horam matutinam celebretur.

145. Tridentino monito obsequentes, vetamus ne cui vago vel ignoto Sacerdoti venia detur a Rectoribus Missam celebrandi, absque Nostra licentia. Presbyteri notissimi, vel qui in vicinioribus diœcesibus munera sacra exercere noscuntur, hoc decreto non comprehenduntur.

146. Si Sacerdos extraneus adveniat cum animo excipiendi collectas, ne semel quidem ad Missam celebrandam admittendus est, nisi exhibeat litteras a Nobis vel a Nostro Vicario Generali editas, ex quibus appareat facultatem petendi eleemosynas ipsi fuisse concessam.

147. Celebrandi bis in eodem die facultas est ab Episcopo petenda. Præsumi hæc poterit in iis casibus dumtaxat, ubi vera existit necessitas, et hæc singulis saltem annis renovanda erit, eaque personæ, non ecclesiæ annectitur. Præterea, quoties quis ex facultate concessa binat, in diversis ecclesiis, aut saltem in diversis altaribus, ubi fieri potest, celebret; ac pro una tantum Missa stipendium accipiat.

148. Post omnes Missas lectas recitent Sacerdotes cum populo preces præscriptas a S. Sanctitate, fel. regn. Leone XIII.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE DISCIPLINA.

149. Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt:

150. Decernimus auxiliariis Sacerdotibus licitum non esse extra rectoralem domum pernoctare nisi de consensu Rectoris habito vel præsumpto; ipsis vero Rectoribus non permitti ut absque consensu Ordinarii, præterquam in inopinato necessitatis casu, de quo Nos quamprimum scripto docebunt, Dominicis aut Festis diebus absint a missione sua, vel ut frequenter, nisi ad unum alterumve diem per ipsam hebdomadam ab ea discedant; tuncque etiam semper curabunt ut aliquis Sacerdos præsto sit qui Sacramenta subito egentibus administret.

151. Ubi autem plures fuerint Sacerdotes, stricte vetamus quominus ita per vices distribuant labores ut, uno ministerio fungente, alter se ab animarum cura vel studio immunem existimet. Etiam hisce, quæ videntur, otii intervallis plurima sunt quæ Sacerdotalem zelum relaxari minime sinunt.

152. Rectores omnium ecclesiarum, in quibus Missa quavis Dominicâ celebrari solet, præter indumenta ad Sacrificium necessaria, Pluviale quoque, Velum, Ostensorium, Thuribulum et quidquid aliud ad decoram et solemnem Benedictionem Sanctissimi requiritur, quanto citius procurare debent.

153. Monemus Sacerdotes ut sacrum Chrisma, Sanctum Oleum Catechumenorum, et Sacrum Oleum Infirmorum, quæ eodem anno feria V^{a} in Cœna Domini ab Episcopo benedicta sint, omnino habere curent. Non licebit amplius, post vigesimam diem a feria V^{a} in Cœna Domini cujusque anni, Chrismate vel Oleis uti, quæ anno præcedenti benedicta sunt.

154. Compactum anno 1810 ab Episcopis initum, quo sibi invicem facultates concedebant, in Concilio Plenario II. iterato revocatum

fuit. Nullus ergo Sacerdos potest in posterum, vi illius pacti, jurisdictionem exercere vel sacrum aliquod aggredi munus absque Ordinarii auctoritate.

155. Omnis Sacerdos, qui pro hac Diœcesi ordinatus fuerit, aut in eamdem incorporatus, sese Ordinario tenetur subjicere usquedum canonice dimissus fuerit, et, nisi rectoratum inamovibilem adeptus sit, cuilibet missioni vacare ipsi ab Ordinario designatæ. Incorporari autem declaramus quemlibet ex aliena Diœcesi advenientem, statim ac dimissoriales proprii ejus Episcopi litteræ a Nobis in perpetuum vel formaliter vel præsumptive fuerint acceptatæ.

156. Sacerdos quilibet, sive sæcularis sive regularis, qui hanc Diœcesim quavis de causa relinquit, eo ipso privatus manet facultatibus in eadem illi concessis, quamvis iterum in eamdem redeat, nisi speciali omnino gratia eas continuari concedamus.

157. Sacerdoti, qui olim ex hac Diœcesi dimissus fuerit, vel cui facultates Nosmetipsi abstulimus, minime licebit Missam celebrare aut aliud sacrum ministerium peragere, absque Nostra expressa licentia.

158. Laicis nunquam, sine Ordinarii licentia, permittatur verba ad populum facere in ecclesiis, postquam hæ consecratæ vel etiam tantum benedictæ fuerint.

159. Conciliorum Baltt^m^. Plenariorum II. et III. monitis obsequentes, omnino prohibemus ne ad fores ecclesiæ pecunia exigatur, ut templum Dei intrare, divinisque mysteriis adstare quis possit. Consuetudini hujusmodi, sicubi existat, volumus ut finis continuo ponatur.

160. Ubi plures in missione sunt Sacerdotes, administratio competit Sacerdoti, qui ab Episcopo administrator aut rector designatur, ad eumque pertinet ea omnia præscribere, quæ spectant Missæ ac funerum celebrationem, tempus et locum administrandi Sacramenta, visitationem infirmorum et scholarum, catechismi denique instructionem et concionum institutionem.

161. Competit etiam administratori seu missionis Rectori regimen domus Rectoralis; si quandoque auxiliarii Sacerdotes sese, quacumque de causa, existimaverint læsos, recursum habeant ad Ordinarium.

162. Meminerit autem Rector vel administrator confratribus suis benevolentiæ fraternæque charitatis signa nunquam non ostendere, ut semper tanquam fratres habitent in unum.

163. Ubicumque ecclesia in Germanorum vel Canadensium vel aliorum linguæ alienæ fidelium usum erecta fuit, cupimus ut ejus Rectorem arcessant vel adeant ad Sacramenta quæcumque suscipienda.

164. Quod si diversæ linguæ fuerint parentes, optio erit baptizandum ad ecclesiam deferre vel matris vel patris in loco existentem. In Matrimoniis contrahendis idem servabitur, ut alteruter contrahentium Rector adiri possit, factis tamen in ecclesia utraque proclamationibus.

165. Quando autem ambo conjuges sunt vel Germani, vel Canadenses, vel alius alienæ linguæ, Rector propriæ eorum ecclesiæ necessario erit adeundus ad Sacramenta Matrimonii vel Baptismi suscipienda. Si autem neuter ex parentibus vel ex sponsis sit alienæ linguæ, minime Sacramenta hæc a tali Sacerdote suscipere licebit.

166. In graviori autem infirmitate, semper arcessere poterunt Sacerdotem districtus in quo habitant, nulla gentis ratione habita.

167. Volumus, si quomodocumque fieri possit, ut pueri Germani vel Canadenses vel alius etiam linguæ in unaquaque schola a Catholicis erecta admittantur, et quidem iisdem conditionibus ac reliqui pueri.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

168. "Nihil est," ait Concilium Tridentinum, "quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt." Sanctitatem igitur sectentur Dei ministri, et, forma facti gregis ex animo, exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate; sint sobrii, prudentes, ornati, pudici, modesti; conversationem suam inter gentes habentes bonam, ut, bene facientes, obmutescere faciant impudentium hominum ignorantiam, et obstruatur os loquentium iniqua.

169. Quum clericos a cæteris, non solum statu et conditione, sed etiam veste distingui oporteat, iis vehementer commendamus ut vestem talarem constanter, quatenus fieri possit, gerant. Quod si eam induere peculiaria rerum adjuncta non sinant, ipsis omnino injungimus iis tantum uti vestibus, quæ suo congruant ordini, scilicet, quæ nigri sint coloris, et omni ornatu careant, sintque ab omni vanitate prorsus alienæ. Collare Romanum, uti vocatur, mandamus ut tam domi quam foris ferant.

170. Publicis theatris, profanis spectaculis, equorum cursibus aliisque hujusmodi generis oblectamentis, etiam extra limites hujus Diœcesis, clerici Nostri haud intersint. Multo minus sponsiones faciant occasione ludorum equestrium, pignoribusque cum aliis contendant, uti fit passim a liberioris vitæ hominibus.

171. Medicinam et chirurgiam nec lucri gratia, nec charitatis specie exerceant. Arma non ferant.

172. Tribunalia profana, negotii aut litis causa, temere ne adeant. Ubi cum homine, etiam sæculari et de rebus temporalibus, difficultas oritur, ne quemquam in jus vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi res aliter componi nequeat. Contra laicum de pecunia ecclesiæ debita non agant, nisi prius in scriptis accepta Episcopi licentia. Districte pariter, imo sub ferendis censuris, prohibemus ne contra clericum cujusvis ordinis, dignitatisve, de rebus etiam temporalibus coram judice civili litem intentent sine permissione Nostra scriptis expressa, aut hujusmodi actionem laicæ personæ assignent. Quod si ecclesiastica vel religiosa alterutrius sexus persona, aliam personam ecclesiasticam vel religiosam utriuscumque sexus, coram civili tribunali citaverit de re juris stricte ecclesiastici, noverit se in censuras a jure latas incidisse.

173. Canonum præcepta memorantes, edicimus ne rerum bonorumve quorumlibet aut pecuniæ mercaturam faciant; ne quæstuosas suo nomine vel sub alieni nominis involucro negotationes exerceant; ne pro aliis fide jubeant; ne aliorum in negotiis procuratores, inconsulto Episcopo, fiant; ne cujusvis curam ac tutelam, præterquam suorum, nisi Episcopo consentiente, suscipiant.

174. Si forte Sacerdoti ægrotos invisenti contigerit dare consilium de rerum temporalium disponendarum ratione, religione quam maxima caveat, non tantum a reatu, sed vel ab ipsa omnis avaritiæ

specie ac suspicione. Onus autem ipsum sive describendi sive exsequendi testamentum constanter recuset, neque unquam, nisi gravissima de causa, puellarum tutelam in se suscipere consentiat.

175. Nolumus etiam, propter magna inde oriunda mala, ut Sacerdotes fidelium pecunias, sub quocumque prætextu, in depositum accipiant.

176. Clericis cauponarum aditus et usus omnino interdicitur, nisi in itinere, necessitatis causa.

177. Modesta mensa victuque frugali utentes, nunquam in re potus aut cibi excedant.

178. Nicæni Patres, Sacerdotum virtuti et famæ consulentes, mulieres nullas cum eis habitare permiserunt, præter matrem aut sororem aut amitam, in quibus naturale fœdus nihil permittit criminis suspicari. Sanctissimam hanc disciplinam consuetudo quidem plerisque in locis nonnihil emollivit; at Sacerdotes tamen hujus Diœceseos monitos volumus ut curent, pro posse, eas tantum ancillas seligere, quarum provecta ætas et illibata fama omnem suspicionem amoveant.

179. Prohibemus etiam ne Sacerdotes in suis domibus habitare permittant scholarum institutrices, aut organistas, aut cantatrices, aut alias feminas non consanguineas, aut etiam consanguineas vel affines juniores, si sacerdotes auxiliarios secum commorantes habeant, nisi de consensu Nostro expresso.

CAPUT DECIMUM NONUM.

DE REGULARIBUS.

180. Quantum ex monasteriis, pie institutis et recte administratis, in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, declarant Patres Tridentini: propterea consentaneum, immo necessarium est ut omnes Dei Sacerdotes, tam Regulares quam Sæculares, in eumdem laborent finem, promovendo nimirum gloriam Dei et salutem animarum. Absit igitur omnis dissensio, ac potius in omnibus appareant concors unitas, amorque fraternus.

181. Regulares haud secus ac Sæculares, exemptionibus ac privilegiis non obstantibus, parere coguntur Episcopalium legum sanctionibus in iis, quæ respiciunt curam animarum aut Sacramentorum

administrationem, omnemque cultum publicum, sicut et bonorum temporalium missionis administrationem, et in omnibus aliis, de quibus iis exemptionem non confirmavit recens hic promulgata Constitutio fel. reg. Leonis XIII: *Romanos Pontifices.*

182. Ideo item Episcoporum jurisdictioni, saltem delegatæ, subsunt quoad domorum religiosarum fundationes, alumnorum suorum ordinationes, annuam visitationem et correctionem in casibus a jure prævisis. Quod libros de religione tractantes attinet, Regulares non tantum Superiorum, verum etiam Ordinarii approbatione indigent.

183. Regulares Ordinarii quoque indigent approbatione pro confessionibus audiendis; pro verbi autem divini prædicatione extra ecclesias sui ordinis, non tantum suorum Superiorum, sed etiam Episcopi licentiam habere tenentur.

184. Regulares, pro certa aliqua Diœcesis missione approbati, si sui superioris mandato ad aliam in Diœcesi missionem translati fuerint, facultates antea ab Episcopo habitas exercere non valebunt, donec ab Ordinario novam approbationem acceperint.

185. Quoad confraternitatum erectionem, publicam SS. Sacramenti expositionem, monialium etiam confessiones, recurrant oportet ad Ordinarium, in cujus diœcesi degunt. Quæcumque spectant observanda et evitanda in celebratione Missæ pertinent ad Episcopum, qui, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, prohibere, mandare, corrigere et statuere potest.

186. Meminerint se Regulares, hac in parte, privilegiis suis non juvari, et Statuta omnia Diœcesana, Provincialia et Plenaria, eadem plane ratione, qua Sacerdotes Sæculares, districte teneri observare.

187. Communitates religiosæ in missiones non introducantur nisi de consensu Ordinarii in scriptis; nec introductas audeat ullus eas dimittere, inconsulto Ordinario, consensuque ejus etiam in scriptis habito.

188. Rectoribus missionum et Directoribus Sororum religiosarum in Diœcesi Nostra laborantium enixe commendamus ut curent in harum domibus observari solitudinem, quæ eis propriis regulis est præscripta, ita ut, ob hanc clausuram passivam, neminem, citra ordinationem Regulæ vel Ordinarii licentiam, claustrum suum ingredi vel in eo morari permittant.

189. Simili de causa reprobamus abusum illum quo nonnullæ Moniales, maxime extraneæ, huc illuc quandoque circumcursare, absque debita Nostra permissione, visæ, et ad loca ab earum monasteriis remota divertere ausæ sunt, colligendarum eleemosynarum gratia. Volumus ut Rectores numquam hujusmodi collectas in suis districtibus permittant, nisi pro institutionibus diœcesanis fiant a Sororibus ad hoc a Nobis commendatis, vel ab aliis licentia Nostra scripta speciali munitis. Contravenientes Nobis denuntientur.

CAPUT VIGESIMUM.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

190. Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri, poterit, retineatur, ut Missa, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur antequam sepulturæ tradatur.

191. In gratiam pauperum, qui expensas Missæ cum cantu ferre non valent, Missa privata de Requie, ex speciali Indulto, ad quinquennium a Julii die 31ª, 1881, concesso, et postea renovato, legi potest, corpore præsente, omnibus illis diebus, quibus Missa solemnis de Requie, præsente cadavere, permittitur. Quæ quidem facultas etiam conceditur pro iis locis, ubi defectu cantorum Missa solemnis seu cantata haberi nequit.

192. Ne fideles a consuetudinis tam optandæ observantia deterreantur, impensæ excessivæ non fiant. Non igitur licebit pro Missis, etiam solemnioribus, plusquam quindecim scutata exigere, nisi defunctorum superstites extraordinaria postulent, et ad ea solvenda parati sint.

193. Quando, sive Sacro celebrato, sive non, post ritus funebres in ecclesia vel domi peractos, defuncti corpus non statim ad sepulturam deferendum est, vel etiam quando in cœmeterio non sunt secuturi alii ritus ecclesiastici, semper in fine functionis dicendum est Canticum "Benedictus" cum antiphona "Ego sum" et precibus in Rituali subsequentibus.

194. Pro sepulturis autem ecclesiasticis, aut Missis in die depositionis, eadem servetur regula, quæ in administratione Sacramentorum; a Rectore nempe ecclesiæ districtus, intra cujus limites degebat defunctus, vel a Rectore ecclesiæ quam frequentabat, in eadem sedem aut scamnum habens, peragendæ sunt, et a nullo alio.

195. Sepultura ecclesiastica privantur infideles, hæretici, et schismatici; excommunicati notorii et vitandi; qui mentis compotes sibi mortem consciverint, nisi ante mortem resipiscentiæ signa dederint; qui, morti proximi, obstinate et coram testibus Sacramenta sibi oblata respuerint; qui notorie scandalosam degerint vitam, nec pœnitentiæ ullum dederint signum; demum qui duello perierint, dederint vel non dederint resipiscentiæ indicia. In dubio vero an sint a sepultura ecclesiastica arcendi, consulendus erit Ordinarius, cum id commode fieri poterit; secus autem in partes lenitatis et misericordiæ propendeat judicium.

196. Maxime cupimus ut in Diœcesi Nostra introducantur, ubicumque nondum in usu sunt, ecclesiastica parvulorum funera, quibus Ecclesia innocentia ista sua membra sepulchro committi desiderat. In iis exsequendis observentur regulæ, quas de parvulorum sepultura habet Rituale Romanum.

197. Parvuli sine baptismo decedentes seorsim in loco non benedicto sunt sepeliendi; at infans, in utero matris fidelis simul cum ea defunctus, idem cum ea sepulchrum habeat.

198. Morem fidelium adultorum funera floribus decorandi, tanquam a mente Ecclesiæ alienum, et spiritum hujus sæculi nimis sapientem, improbamus, atque ut a Sacerdotibus suaviter fortiterque eliminetur, districte præcipimus.

199. In ecclesia non adaperiatur feretrum ad defuncti vultum exponendum, sed, adimpleta absolutione, ad cœmeterium statim, absque mora, corpus deferatur.

200. Moneantur fideles, ut neque pro se, neque pro suis adoptent morem paganum in aliquibus hujus regionis partibus nuper introductum, scilicet, defunctorum cadevera comburendi. De hac re sic decrevit S. Congr. R. Un. Inquisitionis die 13ª Decembris, 1886: "Quoties agatur de iis, quorum corpora non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subjiciantur, Ecclesiæ ritus et suffragia adhiberi posse tum domi tum in ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse. At ubi agatur de iis, qui propria voluntate crematione elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseveraverunt, attento decreto fer. IV. 19 Maii 1886,

agendum cum iis juxta normas Ritualis Romani. . . . . In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus est Ordinarius."

201. Pro corporibus fidelium debita honore reponendis, habeantur in singulis districtibus, quantum res sinant, cœmeteria Catholica, bene custodita, decenter ornata, atque sacris cæremoniis et precibus consecrata.

202. Ritus ecclesiasticos nolumus adhiberi in sepultura fidelium, quandocumque eorum corpora sepeliuntur in cœmeteriis sectarum ; vel etiam in cœmeteriis profanis, quando adsunt cœmeteria Catholica.

203. Si cujus tamen Catholici defuncti, qui fuerat ad fidem conversus, consanguinei superstites sint acatholici, et fundum in alieno cœmeterio jam possideant, permittimus ut exsequiæ in domo vel etiam publice in ecclesia celebrentur, si Rectori expedire visum fuerit. Idem, nisi Nos, ut in præcedenti casu fieri etiam posset, id interdixerimus, juxta Conc. Plen. III., concedimus quando agitur de Catholicis qui jam ante annum 1853 proprium fundum in alieno Cœmeterio habebant, aut imo post illud tempus sine ulla fraude legis acquisierunt.

204. Cum dolo nonnunquam factum est ut corpora eorum, qui manifeste et publice ut peccatores vixerant, et absque pœnitentia obierant, in cœmeteriis rite benedictis clanculum sepelirentur. Decernimus ideo, prorsus illicitum esse sive societati cuivis ædituorum, sive ecclesiæ alicujus aut cœmeterii curatori seu custodi, defunctum ullum sepulturæ ecclesiasticæ tradere, absque proprii Sacerdotis testimonio scripto, quo constet ipsum Christiana sepultura non esse indignum.

205. Districte vetamus, ne unquam, quocumque sub prætextu, sine Ordinarii venia, pecunias, quæ ex cœmeteriis derivantur, suas facere audeant viri ecclesiastici.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

206. Juxta canones ecclesiasticos, qui vetant ne nova ecclesia temere et absque Episcopi auctoritate erigatur, prohibemus quominus Missionum Rectores novis erigendis ecclesiasticis aut parochialibus ædificiis manum admoveant, aut jam existentia adaugeant vel

transforment, nisi de consensu Nostro in scriptis obtento; neque concedetur hæc facultas, donec ædificii propositi ichnographia (*plans*) cum probabili impensarum faciendarum computatione fuerit Episcopo exhibita. Similiter deinde contractus, antequam subscribantur, proponentur Episcopo, vel commissioni ad hoc ab ipso nominatæ, ac postea contractuum eorumdem exemplaria accurate in actis collegii ædituorum describentur, ut ad ea, tanquam documenta fidem facientia, necessitate oriente, recurri queat.

207. Distincte prohibemus, et quidem sub pœna suspensionis incurrendæ, ne ullus Nostræ Diœceseos Sacerdos ecclesias, scholas, domos parochiales, aut alia bona ecclesiastica sibi commissa alienet, aut quocumque modo vel quocumque prætextu, debitis trecenta scutata superantibus oneret, absque facultate Nostra scriptis prius obtenta. Similiter nec ipsi, nec ædituorum collegium unquam ædificia quævis, fundos aut agros pro missione pretio acquirent quin antecedentem in scriptis habuerint consensum Episcopi.

208. Meminerintque Sacerdotes sibi non licere penes se retinere, proprio jure et nomine, bona quælibet a fidelibus in pios usus donata; sed omnium bonorum ecclesiasticorum titulus legalis penes Diœcesim,[1] vel si non fuerit, prædicta bona concredantur Societati Ædituorum (vulgo *Trustees*), secundum legem in Statu Neo-Eboracensi, die 25 Martii, 1863, latam, quæ lex Anglice exprimitur: "An Act, *Supplementary to the Act entitled 'An Act to provide for the Incorporation of Religious Societies,'* passed April fifth, eighteen hundred and thirteen." Nec licebit ulli ædituorum laicorum societati, pecuniam a fidelibus in usus ecclesiasticos corrogatam, aut religionis sacrorumve ministrorum causa subministratam, expendere, absque Rectoris vel Ordinarii licentia. Bona enim omnia ecclesiastica juxta ipsam legem civilem Ecclesiæ subjacent potestati et administrationi, illiusque vicarius et interpres in sua quisque diœcesi est Episcopus. Nos porro hac in re nullum habemus actorem, mandatarium vel vicarium, nisi ubi quem in scriptis ad tractandum aliquod negotium constituerimus.

209. Singuli etiam ecclesiarum Rectores, præter libros Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum et Defunctorum, qui omnes lingua Latina exarari debent, insuper lingua vernacula conficient: 1°. Librum Status Animarum in quo singulis quinquenniis (1889–94–99, etc.) e censu, qui S. Congregationis præscripto faciendus est, in-

(1) The corporate title "Roman Catholic Diocese of Albany, N. Y." See By-laws in Appendix.

scribantur nomina, ubi id fieri potest, uniuscujusque membri familiarum, vel saltem ipsius familiæ, ad congregationem pertinentium, cum factis et notitiis quæ administrationi missionis prodesse possunt. 2°. Librum Inventarii bonorum ecclesiæ, atque Redituum et Impensarum, seu "Œconomicum," in quo libro bona omnia tum mobilia tum immobilia, quæ ad ecclesiam vel ad congregationem pertinent, recensebuntur. 3°. Librum Historiæ Missionis, in quo breviter, sed accurate, describent originem et statum Missionis ; a quo, quando et quibus auxiliantibus fuerit incepta ; quando et quomodo ecclesia, domus rectoralis et scholæ fuerint erectæ, et alia omnia quæ historiam Religionis in isto loco illustrare possunt.

210. Moneantur etiam Sacerdotes ne res suas rebus ecclesiæ immisceant, cum famæ suæ discrimine, vel offensione fidelium, qui injuriam fieri ecclesiæ facile existimant. Ideo etiam, secundum præceptum Concilii plenarii III. et Concilii Prov. Neo-Eb. IV., tempestive conficiant testamentum de bonis temporalibus, quæ forte habuerint, de his in eo disponentes secundum justitiæ, religionis et charitatis leges.

211. Ideo cum ipsi pecuniam in ecclesiæ usum conferunt, id fiat probante Episcopo, et cum virorum fide dignorum notitia, atque in libro supra citato referatur, ut Episcopus, visitationem habens, possit singula inspicere et jura omnium tueri. Clarum igitur et præcisum compendium omnium redituum cujuscumque generis, etiam impensarum, uniuscujusque anni, suppeditabit Rector. Horum omnium synopticæ relationes, semel saltem in anno, mittendæ erunt ad Cancellariam diœcesanam.

212. Si quando alias relationes exquisierit Episcopus, illas pro posse quam primum reddet. Quod si Sacerdos aliquis ab ecclesia aliqua amoveatur, nunquam illi licebit auferre libros, de quibus in antegresso decreto sermo est, sed illos suo successori accipiendos relinquere tenebitur.

213. Decernimus ut quilibet Rector, sive sæcularis sive regularis, qui unius vel plurium, ut quandoque accidit, congregationum vel missionum curam sibi a Nobis commissam habet, mille scutata per annum titulo salarii recipiat ; ejus vero coadjutoribus, modo saltem per tres annos integros sive a die ordinationis suæ pro hac Diœcesi, sive a die admissionis in Diœcesi, fideliter ministerio sacro allaboraverint, sexcenta scutata solvantur, secus quingenta.

214. Salarium istud accipient e reditibus missionis, quorum fontes sunt sequentes:

(1°) Sedium seu locorum assignatio certis personis vel familiis, a quibus compensatio determinata datur ecclesiæ (*pew-rent and seat-money*).

(2°) Collectæ ad offertorium factæ pro ecclesia (*plate-collection*).

(3°) Collectæ, quæ fiunt alicujus cæremoniæ vel concionis extraordinariæ occasione.

(4°) Collectæ, qua de domo in domum fiunt, vel per ipsos Sacerdotes, vel per personas ad hoc deputatas.

(5°) Pecunia soluta in pretium humi in cœmeteriis, vel pensionis in scholis ab ecclesia sustentatis.

(6°) Dona extraordinaria aut legata quævis, missioni facta vel relicta.

215. Salarium sibi debitum Sacerdotes, nisi velint id dare ecclesiæ, opportuno tempore exigere et excipere non negligant. Si id ultra annum in ærario reliquerint, sine legitima attestatione ædituorum, ab Ordinario probata, id solutum non fuisse, et ab ecclesia adhuc deberi, juri suo censebuntur renuntiasse, atque id nullo titulo postea repetere poterunt. Pari effectu interpretandam decernimus intentionem eorum, qui salarium acceptum, Nobis insciis et inconsultis, ecclesiæ sub forma mutui reddiderint. Pecunia isthæc, nisi infra annum, quo salarium reposci poterat, fuerit accepta, ceu mutuatoris donum tota cedet ecclesiæ, et amplius recuperari nequibit.

216. Pecuniæ, occasione administrationis Sacramentorum Baptismi et Matrimonii, quocumque titulo perceptæ, cedunt Rectori, qui domus expensas ferre, et Adjutoribus suis congruam suppetere sustentationem tenebitur.

217. Ubicumque pecuniæ istæ et aliæ pro sustentatione Sacerdotum perceptæ ad hunc finem non sufficiunt, caveant Rectores ne quid ex ecclesiæ reditibus desumant absque expressa, in scriptis habita, Episcopi licentia.

218. Similiter strictissime prohibemus quominus ullo prætextu suas faciant Presbyteri pecunias quas sodalitates cum ecclesia connexæ a membris suis percipiunt, quum in fines a sodalitate intentos omnino et unice sint expendendæ.

219. In hac Diœcesi stipendium pro Missa privata celebranda est unum scutatum; pro Missa cantata, quinque scutata. In Missis cantatis, eleemosyna seu honorarium Missæ pertinet ad celebrantem. Impensis cantorum ac aliis persolutis, si qua supersit pecunia Rectori, ut fit Baptismi et Matrimonii occasione, ad victuales impensas exsolvendas cedet.

220. Meminerint Sacerdotes, qui ecclesiis sive jam ædificatis sive ædificandis sunt præpositi, quam primum operam omni studio dare, ut presbyterium, seu domus rectoralis, quandocumque fieri potest, prope ipsam ecclesiam ædificetur, atque aut Ordinario diœcesano, aut secundum decretum supra relatum, sicut cætera bona ecclesiastica, Corporationi assignetur.

221. Sacerdotes omnes monemus ut securitati bonorum ecclesiasticorum sedulo prospiciant omni qua valent ratione; præsertim, ut cautionem (*insurance*) contra damnum ex incendio in ecclesia sibi commissa timendum numquam non habeant. Quæ cautio semper habenda erit in nomine vel corporationis, vel Episcopi, vel cujuscumque ad quem proprietas coram lege civili titulo pertinet.

222. In singulis missionibus, in quibus residet Sacerdos, habeatur arca ferrea (*safe*), quæ pro archivo parochiali inserviat. In ea tuto custodiantur omnia instrumenta officialia, sive diœcesana, sive civilia, et libri parochiales ecclesiæ vel ecclesiarum missionis.

223. Cum porro gravissima mala et scandala facile orirentur, si penes laicos, recto quamvis animo sint, facultas daretur eligendi ac instituendi eos, qui obire solent munus aliquod, sive ad publicum religionis cultum pertinens, sive ad primam juventutis institutionem in disciplina Christiana, haud amplius licebit ædituorum societati ulli, aut laicis quibusvis aliis, designare, retinere vel amandare quempiam, munus hujusmodi ambientem vel exercentem, quin id expresse Rector ipse sanxerit.

224. Cum insuper loca, sacris usibus semel mancipata, sancta habenda sint, nec illis tradenda usibus, qui palam profani sunt, vel profanum morem sapiunt, nulla posthac Ædituorum Societas nec laici quicumque permittantur, sive in ecclesia, sive in subterraneo sacello, sive in loco quovis, iisdem illis religiose adnecti solito, conventum agere, imo nec indicere, nisi id singulis vicibus approbaverit Rector, qui de negata vel concessa venia rationem Ordinario reddere tenebitur.

225. Quæ de locis sacris, juxta modum et de scholis decernimus. In posterum igitur omnibus indiscriminatim usibus minime inserviant. Claudantur cœtibus, quocumque nomine designentur, qui ecclesiæ parochiali non sunt adnexi, nec in iis unquam choreæ tolerentur.

226. Missis fundatis, nullo in casu, absque Nostra venia, in scriptis data, ecclesiæ onerentur. Conditionibus vero impositis, quarum exemplaria unum in archivo episcopali deponatur, alterum in tabella murali in ecclesiæ sacristia præ oculis semper habeatur, strictissime standum erit.

227. Tributum Cathedraticum, quod non per specialem collectam obtentum sit, sed ex missionis reditibus ordinariis desumptum, quotannis a singulis Rectoribus ante diem octavam Decembris solvatur.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

DE SUSTENTATIONE SACERDOTUM.

228. Bene sciant omnes missionarii Sacerdotes, se ex ipsa missione sua salarium et sustentationem procurare debere, atque Episcopum legibus, nec ecclesiasticis, nec civilibus, ullatenus teneri ad salarii defectum supplendum, si qua de causa illud Sacerdos a missione vel nullum vel justo minus acceperit.

229. Ne Sacerdotibus, labore vel senio fractis, aut longiori ægritudine languentibus, necessaria subsidia unquam deessent, sub Prædecessore Nostro f. m. societas pro mutuo subsidio a Sacerdotibus hujus Diœcesis feliciter fuit instituta. Omnes Sacerdotes diœcesanos enixe hortamur, ut hanc eximiam societatem pro viribus foveant. Taxa singulis Diœcesis ecclesiis pro laudata societate auctoritate episcopali imposita, ab omnibus ecclesiarum Rectoribus ex stricta obligatione quot annis solvenda est.

230. Sacerdotes, quibus, per Ordinarii sententiam, sacerdotii exercitium interdictum fuerit, nullum jus habent ad sustentationem ab eo petendam, quum ipsi sua culpa missionibus operam navandi se incapaces reddiderint. Attamen, religionis et misericordiæ motivis ducti, juxta votum S. Congregationis de Propaganda Fide, satagemus

ut ii, qui spem fundatam conversionis exhibent, in domum aliquam religiosam recipiantur, Diœceseos expensis, quamdiu vere necessarium fuerit, ibidem sustentandi. Cfr. *Conc. Plen. III., n. 72.*

231. Presbytero præterea, facultatum exercitio etiam propter aliquam culpam, dum membrum erat Societatis Mutui subsidii, privato, dummodo nullo modo sit contumax, et omnibus conditionibus ipsi ab Ordinario præscriptis obtemperare paratum se exhibeat, per ejusdem Societatis Statuta misericorditer provisum est.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

DE COLLECTIS.

232. Nulli licebit Rectori in ecclesia sibi subdita collectam jubere aut permittere pro opere, quod ad ecclesiæ prædictæ seu congregationis bonum directe non referatur, nisi de judicio Ordinarii fiat.

233. Statuimus ut, donec aliter provideatur, in omnibus hujus Diœcesis ecclesiis, sive sæcularium sive regularium, tres fiant singulis annis collectæ, una nimirum in prima Quadragesimæ Dominica pro Indis ac Nigritis et etiam pro Societate Propagationis Fidei, in missionibus nempe, ubi hæc nondum fuit erecta; secunda in die Pentecostes pro institutione clericorum; tertia vero Dominica secunda Octobris pro Summo Pontifice. Quarta autem Feria VI. in Parasceve, sed in officio principali tantum, fiat pro locis piis Terræ Sanctæ. Quarum quidem tres priores ab omnibus Præfectis seu Rectoribus ecclesiarum Dominica antecedente, ultima vero ipsa die Parasceves, accurate populo e suggestu prænunciabuntur, et quam primum earum summa ad Cancellarium Nostrum transmittetur.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

234. In casibus criminalibus clericorum definiendis sequemur processum præscriptum per Instructionem S. Congregationis de Propaganda Fide "Cum Magnopere," et decreta hac de re Concilii Plenarii Baltimorensis III.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

DE OFFICIALIBUS DIŒCESEOS.

235. Vicarius Noster Generalis, præter potestatem ordinariam ei ipso jure tributam, etiam facultates extraordinarias a Nobis ei concessas exercere valebit, quotiescumque ultra diem extra residentiam Nos versari contigerit.

236. Sex in Diœcesi Consultores diœcesanos constituere decrevimus, tres per ipsum Episcopum nominandos, tres vero ab Episcopo seligendos e candidatis, quos Sacerdotes, in Diœcesi ministerio fungentes, designaverint ut idoneos. Munia eorum erunt Ordinario consilium præstare in iis, de quibus eos consuli mandavit Concilium Plenarium III., et partem cum Rectoribus inamovibilibus habere in electione candidatorum ad sedes episcopales.

237. Decanos pariter seu Vicarios Foraneos jam nunc instituimus. Eorum munus erit collationibus Sacerdotum, absente Episcopo, præsidere; invigilare Presbyteris intra suum decanatum degentibus, deque iis eorumque missionibus Episcopo referre; examinare libros missionis, annuasque relationes et notitias; Sacerdotibus infirmis sollicitudinem impendere, mortuorumque funus curare; vacantibus missionibus providere atque earumdem bona et libros conservare et custodire; Episcopum tandem, in decanatu visitationem peragentem, ut convisitatores comitari.

238. Examinatores cleri Diœcesani novem constituimus, quorum officium erit cõncursus candidatorum ad rectoratus inamovibiles dirigere et dirimere, sicut etiam tum juniores Sacerdotes per quinquennium post ordinationem, tum candidatos ad Seminarium et ad Ordines examinare.

239. Cancellarii Diœcesani officium erit dispensationes ab Ordinario petitas recipere, curare et expedire, ac simul curam gerere archivi Diœceseos.

240. Cancellarius quoque Diœcesanus recipiet et examinabit relationes omnes de bonis temporalibus ecclesiarum, et, quantum necesse fuerit, in regesta transscribet, quæ in Diœcesano Archivo servantur.

241. In hac etiam Synodo, juxta Constitutionem "Dei miseratione" S. M. Benedicti XIV. instituimus munus Defensoris Matrimonii, qui matrimonia de nullitate postulata secundum regulas juris propugnabit ac tuebitur.

242. Judicia ecclesiastica jam secundum Instructionem "Cum magnopere" ducturi, constituimus etiam Procuratorem Fiscalem, cujus munia descripta videre est in isto documento, reliquorum officialium designationem pro singulis casibus, uti opportunum visum fuerit, reservantes.

243. In remotione vel translatione Rectorum sequemur subjunctum Responsum S. Congregationis de Prop. Fide, 28 Martii, 1887: "In casibus remotionis peragendæ, seu privationis totalis ab officio Rectoris, in pœnam criminis vel reatus disciplinaris, canonicus processus juxta præfata Instructionis — 'Cum magnopere' — et Concilii III. Plenarii decreta, confici debet. Cum vero agatur de translatione Rectoris ab una Missione ad aliam, aut ad aliud officium etiam inferius, Ordinarii non tenentur ad canonici processus instructionem; opus est autem ut hoc fiat graves ob causas, et habita meritorum ratione juxta dispositionem Concilii Plenarii Baltimorensis III., Tit. II, Cap. V., § 32. Si in causa translationis fiat recursus ad S. Congr^m^, S. Congregatio remittet recursum ad Metropolitam, vel si agatur de Metropolita, ad Metropolitam viciniorem."

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

REGULÆ CANCELLARIÆ DIŒCESANÆ.

244. Dispensationes in re matrimoniali scripto semper petantur, et ad Cancellarium, 125 Eagle street, cum verbo "*Chancery*" in superscriptione signato, transmittantur. Nunquam vero petantur per telegraphiam.

245. Petitiones hujusmodi omnibus et singulis diebus, Dominicis et festivis exceptis, ab hora decima ante meridiem ad meridiem usque, Cancellarius excipiet.

246. Tempore clauso, petitiones non per oratores, sed per cursum publicum transmittantur.

247. Supplex libellus, qui a Rectore vel ab alio Sacerdote jus habente, est componendus, nomina oratorum, naturam et numerum impedimentorum, ac rationes quibus preces nituntur, accurate describat; secus enim dispensatio periculo nullitatis exponitur.

248. Quoties pro Matrimonio mixto petitur dispensatio, debet Sacerdos in supplici libello declarare utrum ipse partes ab hujusmodi Matrimonio dissuaserit, quo animo istæ sint affectæ quoad conditiones postea servandas, utrum pars acatholica baptizata fuerit necne, et quid ipse Sacerdos de periculo perversionis quoad partem Catholicam sentiat.

249. Item, in petitionibus pro dispensatione ab impedimento consanguinitatis, est aperte declarandum, utrum Sacerdos partes pro viribus ab hujusmodi conjugio averterit.

250. Si oratores ipsi ad Cancellarium supplicem libellum deferant, de taxa ab ipsis, in hoc casu solvenda, a Sacerdote præmoneantur.

251. Pro dispensatione in bannorum proclamationibus taxa exigitur fixa. Si una fiat proclamatio, tria solvantur scutata; trinis omissis proclamationibus, quinque solvantur.

252. In dispensationibus extraordinariis a S. Sede collatis, eleemosyna congrua, habita ratione facultatum oratorum, eroganda est, et mittenda ad Cancellarium, in pios usus omnino impendenda. Unum scutatum præterea requiretur pro impensis ejus officii.

Appendices.

I. Facultates Dioecesanae.



THOMAS

Dei et Apostolicae Sedis Gratia

Episcopus Albanensis.

Dilecto Nobis in Christo Rev^do D^no ..... *sequentes in Diœcesi Nostra concedimus facultates:*

1°. Prædicandi verbum Dei in ecclesiis Nostræ Diœcesis, servatis præscriptis in Statutis diœcesanis, Cap. III. et. N° 160.

2°. Administrandi omnia Sacramenta, Confirmatione et Ordine exceptis, servatisque servandis.

Nota.—1°. Confessarii monialium in monasteriis degentium debent a Nobis specialiter esse nominati, non tantum ut licite, sed ut valide eis Pœnitentiæ Sacramentum dispensent. Item venia Nostra specialis requiritur ut licite quis intra religiosarum domos excipiat confessiones personarum sæcularium inibi commorantium. Cfr. N. 87 Statutorum.

2°. De Regularibus ab una ad alteram missionem in Diœcesi translatis vide N. 184 Statutorum.

3°. Libertatis conscientiæ gratia conceditur ut omnis sacerdos extraneus, qui in propria Diœcesi facultatibus ordinariis præditus cognoscitur, valeat absolvere Sacerdotem Nostræ Diœcesis, qui in hac ei confiteri elegerit, ac pariter omnes personas quæ in domo ejus veram habent habitationem.

4°. Quoad modum excipiendi confessiones mulierum, stricte servari mandamus præscripta N° 96 Statutorum.

3°. Absolvendi ab hæresi, et apostasia a fide, et a schismate, quoscumque, etiam ecclesiasticos, tam sæculares, quam regulares; non tamen 1°, eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum in quibus impune grassantur hæreses, deliquerint, nec 2°, illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur hæreses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiæ tantum.

4°. Absolvendi ab omnibus casibus et censuris Romano Pontifici etiam speciali modo reservatis; numquam tamen præcedenti N. 3° jam exceptos, nec præterea: 1°, Complices sibi in quolibet peccato mortali externo contra castitatem; 2°, Sacerdotem, qui complicem sibi in hujusmodi peccato absolverit; 3°, Sacerdotem crimine sollicitationis fœdatum; 4°, Personam sollicitatam, nisi prius sollicitantem denuntiaverit; 5°, Personam, quæ sacerdotem de sollicitatione falso denuntiaverit; 6°, Catholicos excommunicatos propter attentatum, conjuge superstite, novum matrimonium; 7°, Catholicum excommunicatum propter matrimonium contractum vel attentatum coram præcone acatholico; 8°, Catholicos, qui, sive in templis hæreticorum, sive in synagogis Judæorum officium cantoris vel organistæ exercent, nisi constet ipsos hujusmodi munus reliquisse; 9°, Franco-Muratores, Socios Singulares, Equites Pithiæ, donec ab istis societatibus prorsus se separaverint. Vide Statuta N° 98.

5°. Absolvendi et dispensandi in quacumque simonia, injuncta aliqua eleemosyna vel pœnitentia salutari.

6°. Dispensandi quoad exercitium Ordinum jam susceptorum in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ ex bigamia vera vel ex homicidio voluntario proveniunt, vel ex ipso ordinis exercitio, dum quis ex sententia a Nobis prolata ab illo suspenditur.

7°. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis, iis exceptis, quæ in societatibus religiosis emittuntur.

8°. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium tempore jejuniorum et Quadragesimæ, et cum operariis juxta Indultum S. Congr. De Propaganda Fide diei 15ª Martii 1895, quod vide infra pagª 70.

9°. Benedicendi paramenta et alia utensilia ad sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit sacra unctio.

10°. Benedicendi coronas precatorias, cruces, sacra numismata, eisque applicandi indulgentias consuetas juxta folium Romæ typis impressum.

NOTA.— Vide contenta hujus folii in Appendice ad Rituale Romanum sub titulo: "Instructio pro sacerdotibus quibus Summus Pontifex facultatem delegat benedicendi Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas statuas et sacra numismata cum adnexarum Indulgentiarum elencho."

11°. Erigendi confraternitates B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, Sanctissimi Rosarii, et Bonæ Mortis, cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quæ Summi Pontifices iisdem confraternitatibus impertiti sunt.

NOTA.—A die 27ª Aprilis, 1887, revocatum est indultum Gregorii XVI., quod sacerdotes debita facultate præditos recipiendi Christi fideles in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo eximebat ab onere inscribendi nomina fidelium in libro Confraternitatis.

12°. Largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis ac Sacra Communione refectis.

13°. Lucrandi sibi easdem indulgentias.

14°. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab hæresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non valeant.

15°. Singulis secundis feriis non impeditis officio novem lectionum, vel iis impeditis, die immediate sequenti, celebrando Missam de *requie* in quocumque altari, etiam portatili, liberandi animas secundum suam intentionem a Purgatorii pœnis per modum suffragii.

NOTA.—1°. Officium Novem Lectionum hanc Missam de *requie* impediens, præter Vigilias, Ferias et Octavas privilegiatas ac Festa de præcepto servanda, intelligitur officium quod est superius Duplici Minori.

2°. Quando hujusmodi Missa de *requie* tum feria II. tum feria III. impeditur, potest animabus Purgatorii suffragari per Missam de die in feria II., perinde ac si celebrata esset Missa de *requie* ad formam privilegiorum.

16°. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, libros hæreticorum vel infidelium de eorum religione tractantium, ad effectum eos impugnandi voce vel scriptis.

17°. Celebrandi Missæ sacrificium per unam horam ante auroram et aliam post meridiem, sine ministro, et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis sanctorum, vel præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit.

18°. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ut Christi fideles satisfacere possint obligationi audiendi Missam diebus præceptis, quando recursus ad Nos convenienter haberi nequit.

Nota.— Facultas celebrandi bis in die nonnisi ob veram necessitatem et ad breve tempus concedi a Nobis potest, ideoque sacerdotes quibus fuit concessa, quotannis, de novo rationem exponere et licentiam petere tenentur. (Vide Statuta, N° 147.)

19°. Induendi se vestibus sæcularibus, ita tamen ut semper geratur Collare Romanum ac vestes sint nigri coloris et clericalis formæ, quarum saltem exterior sit longa. (Vide Conc. Plen. III. et Syn. Alb. VI. N° 169.)

20°. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte et sine lumine ad infirmos, illudque sine eodem retinendi, in loco tamen decenti, pro eisdem infirmis, præsertim si ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii. (Vide Statuta N° 73 ad 76; 80, 84.

21°. Recitandi Rosarium, si divinum officium ob aliquod impedimentum recitari non valeat.

22°. Recitandi tertiam partem Rosarii, vel Litanias Lauretanas cum psalmo quinquagesimo, vice Matutini cum Laudibus, eo die, quo quinque saltem horas in confessionibus excipiendis occupatus fuerit.

23°. Recitandi privatim Matutinum cum Laudibus diei sequentis statim elapsa hora secunda post meridiem.

Nota.— Prædictas facultates exercere non licet, nisi salva in omnibus auctoritate rectorum aut administratorum districtuum juxta Statuta diœcesana. (Vide Nn. 50, 51, 111, 112, 163, 164, 165, 166 Statutorum.)

Facultatibus his munito enixe commendamus ut in omnibus sacerdotis boni munia expleat, exemplum se præbens fidelibus in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate, atque ut plene exsequi studeat quæ per tria Plenaria Concilia Baltimorensia, per quatuor Concilia Provincialia Neo Eboracensia et per sex

Synodos Diœcesanas Albanenses pro sanctificatione animarum Nobis commissarum decreta fuerunt.

Datum Albaniæ, sub sigillo Nostro, die .....mensis..... A. D. 18.....

De mandato Ill^mi ac Rev^mi DD. Episcopi Albanensis,

.....

Cancellarius.

II. S. Congregationis De Propaganda Fide Indultum circa abstinentiam.

Diei 25[i] *Martii*, 1895.

Eme. ac. Rme. Dne. Mi. Obme.

Haec S. Congregatio de Prop. Fe. in opportunum examen revocavit petitionem, quam Eminentia Tua nomine Rmorum Archiepiscoporum Statuum Foederatorum Am. eidem obtulit circa dispensationem ab abstinentia favore operariorum praedictae regionis. Re mature perpensa praefata S. Congregatio censuit magis expedire ut quin detur indultum quoddam generale pro omnibus Statibus Foederatis, tribuatur potius facultas singulis Ordinariis ad decennium permittendi usum carnium in iis circumstantiis locorum et personarum, in quibus indicaverint veram existere difficultatem observandi legem communem abstinentiae. Ab hac vero permissione excludi debent praeter omnes sextas ferias totius anni, etiam feria quarta Cinerum, totum tempus majoris hebdomadae, et vigilia Nativitatis Domini. In iis vero diebus, in quibus ab Ordinario permittitur usus carnium haec permissio pro obligatis ad jejunium extendi debet tantum ad unicam comestionem et firma manere debet lex prohibens ciborum mixtionem.

Huiusmodi concessio censeri debet facta non tantum individuis operariis, sed etiam eorum familiis ita ut omnia earumdem membra de indulto participent.

In notificatione legis jejunii, quae singulis annis e suggestu legenda est, debet fieri mentio specialis huius indulti quod operariis Statuum Foederatorum a S. Sede conceditur, et consilium dandum est fidelibus, ut diebus quibus indulto utuntur, aliquod aliud poenitentiae opus exerceant v. g. abstineant a potu inebriante.

Tandem Ordinarii monendi sunt ut suis Sacerdotibus commendent discretionem in urgenda legis adimpletione eaque moderanda. Satis enim distingui debet inter causas ex se excusantes et causas sufficientes ad dispensationem, insuper causarum gravitas cum debita prudentia pensanda est.

Precor igitur Eminentiam Tuam ut supra expositam mentem Sacrae Congregationis et facultatem in ea contentam omnibus et singulis Ordinariis Statuum Foederatorum communicare faveat.

Post haec humillime Eminentiae Tuae manus deosculor.

Eminentiae Tuae

humillimus addictissimus Servus,

M. Card. Ledochowski, *Praef.*

A. Archiep. Larissen, *Secr.*

Emo. Dno. Cardinali,

JACOBO GIBBONS,

Archiepiscopo Baltimorensi.

III. Incorporation, By-Laws, and Bequests.

As the Rt. Rev. Bishop desires that all Churches be incorporated and property vested in said corporations, the following directions are to be observed :

Pastors of Churches to be incorporated will present the names of two laymen to be elected by the Rt. Rev. Bishop, the Vicar-General and the Pastor of the proposed corporation.

The Pastor and the two laymen thus selected will sign their names to the articles of incorporation and acknowledge the same before a commissioner of deeds or a notary public, and have such acknowledgment duly verified by the clerk of the county in which it has been taken. The articles of incorporation, when thus signed, will be sent to the Rev. Chancellor, who will present them to the Rt. Rev. Bishop and Vicar-General for their signatures; they likewise will acknowledge their signatures before a commissioner of deeds or notary public. These documents thus signed and acknowledged will be filed, one in the office of the Secretary of State in the Capitol at Albany, the other in the office of the clerk of the county in which the church is situated

Form for the Election of Lay Trustees.

Know all men by these presents, That we, the ..... Bishop of the Diocese of Albany, in the State of New York, and the Very Rev. ....., Vicar-General of such Diocese, and the Rev. ....., Pastor of ....., in such Diocese, pursuant to an act of the Legislature of the State of New York, passed March 25, 1863, entitled "An Act supplementary to the Act entitled 'An Act to provide for the incorporation of Religious societies,'" passed April 5, 1813, do hereby certify that we have selected and appointed, and we do hereby select and appoint ..... and ....., two Laymen, members of said Church, to be and act with us as Trustees of said Church for one year; viz., from the .... day of ....., 18.., to the ..... day of ..., ... , 18...

IN WITNESS WHEREOF, we have hereunto set our hands and seals, this ..... day of ....., 18...

.....
.....
.....

CERTIFICATE OF INCORPORATION

Of.....
Erected in the .....
County of .....

STATE OF NEW YORK, }
County of..... } *ss.:*

Whereas, in pursuance of an act entitled "An Act supplementary to the act entitled 'An Act to provide for the incorporation of religious societies, passed April 5th, 1813;' passed March 25th, 1863," we, ..., the Roman Catholic Bishop of the Diocese of Albany; ....., the Very Reverend Vicar-General of said Diocese; ....., now the pastor of the....., erected in....., County of ....., have selected and appointed ..... and ....., two laymen, members of said Church, for the purposes in said act mentioned.

And Whereas, We, whose names are hereto subscribed, are desirous of incorporating said Church, or the Congregation thereof, pursuant to said act.

Now, therefore, know all men by these presents, That we do hereby certify that the name or title by which we and our successors shall be known as a body corporate by virtue of said act, is .... that said Church is..... erected in said county of ....., and that we are the Trustees thereof.

IN WITNESS WHEREOF, we have signed these presents in duplicate, one part thereof to be filed in the office of the Secretary of State of New York, and the other in the office of the clerk of said county of ..... and have acknowledged the same according to law.

DATED ....., this ..... day of ..... in the year of our Lord one thousand eight hundred and .....

Signed in presence of

.....
.....

STATE OF NEW YORK, } ss.:
Albany County, }

On this ..... day of ....., 18.., before me personally appeared the Right Reverend ...., the Roman Catholic Bishop of the Diocese of Albany, and the Very Reverend ....., Vicar-General of such Diocese, to me severally known to be the same persons described in and who executed the foregoing certificate as such Bishop and Vicar-General, and severally acknowledged that they executed the same.

.....

STATE OF NEW YORK, } ss.:
..... *County*, }

On this ..... day of ....., 18.., before me personally appeared the Reverend ....., now the Pastor of..... ....., and ..... and ...., to me severally known to be the same persons described in and who executed the foregoing certificate, and severally acknowledged that they executed the same.

.....

BY-LAWS

OF

The Church of ....
In the ..... of .....

At a Meeting of the Trustees of the Church of .....
....., held at ....., in .....,
on the ..... day of ....., in the year of our Lord one thousand eight hundred .....,
the following By-Laws were unanimously adopted:

I.

The corporate powers of this Church shall be exercised in all things in conformity with the principles and general discipline of the Roman Catholic Church existing in the United States of America, and in conformity with Disciplinary Statutes of the Diocese of Albany.

II.

This Church is always bound to receive as Pastor thereof, and as one of its Trustees, such Priest as the Right Reverend Bishop of this Diocese, or, in his absence or inability to act, the Vicar-General thereof, or the Administrator of the Diocese, may from time to time appoint; and whenever any pastor thereof shall die, refuse or neglect to serve, or be removed by the Right Reverend Bishop, Vicar-General, or Administrator of the Diocese, such Pastor shall cease to be a Trustee of this Church, and shall be no longer recognized as Pastor thereof.

III.

The officers of this Church shall be a President, Treasurer and Secretary; the Right Rev. Bishop, and in his absence the Vicar-General, shall be *ex-officio* President of the Board of Trustees. The Treasurer and Secretary shall be elected annually, and each shall continue in office until a successor be appointed.

IV.

At any regular meeting of the Board a majority of the Trustees shall constitute a quorum for the transaction of business, and in the absence of the Bishop and Vicar-General they may appoint a chairman to preside at such meeting; but no proceedings, orders, resolutions or acts of said Trustees shall be valid or effectual in law unless the same receive the sanction of the Bishop, or, in his absence, of the Vicar-General, or, in the case of a vacancy in the See, of the Administrator of the Diocese for the time being.

V.

The annual meeting of the Trustees shall be held on the Wednesday after the first of January in each year. At the said annual meeting the said Bishop, Vicar-General, and Pastor, or a majority of them, shall select and appoint two laymen of said Church or Congregation Trustees of said Church.

In case of the non-attendance at such meeting, or at any meeting, special or regular, of the Right Reverend Bishop or Vicar-General, it shall be competent for either of them to vote by proxy or by letter in writing, and such vote shall be accordingly received and recorded as if they were personally present.

Special meetings may be called at any time by the Bishop, Vicar-General, or Pastor; but no proceedings, orders, or acts of said

meetings shall be valid unless they shall receive the sanction referred to in By-Law IV.

VI.

The Treasurer shall keep regular accounts of all receipts and disbursements of the Church, which accounts shall at all times be open to the inspection of any of the Trustees. The funds of the Church shall be kept on deposit in some safe bank in the name of the Church, and checks shall be signed by the Treasurer. The accounts of the Treasurer shall be examined by two members of the Board at least once a year, and on the first of January in each year a synopsis of such accounts, together with a statement of the assets and liabilities of the Church, shall be prepared and printed or written for the information of the Congregation, or otherwise laid before them, and a copy thereof delivered to the Right Reverend Bishop, or to the Vicar-General or Administrator as aforesaid.

VII.

The Pastor shall, under the direction of the Bishop, have the custody of the books, and papers, and keep the corporate seal of the Church. The Secretary shall keep the minutes of the meetings of the Board, and notify the members of the meetings, general and special, by a notice in writing either served on each member personally, at least twenty-four hours in advance of such meeting, or mailed to him, addressed at his residence, postage prepaid, at least thirty-six hours in advance thereof.

VIII.

No member or members of this Board shall have any power or authority to sign any note or bond, or any other evidence of debt, or to contract any debt or liability on the part of this corporation, except in pursuance of a special resolution of the Board of Trustees for that purpose, entered on its minutes, and signed by at least three Trustees, and in conformity with Article IV, of these By-Laws.

IX.

These By-Laws cannot be repealed, changed or modified, nor any additions made thereto, unless by the unanimous vote of all the members of the Board. Any proposed change therein must be presented in writing and entered on the minutes; the vote thereon shall not be taken until the next succeeding meeting of the Board

The presiding officer may adjourn any meeting at any time of his own motion for not more than ten days.

.....*Bishop.*
.....*Vicar-General.*
.....*Pastor.*
.....
.....

Directions for Trustees of Church Corporations.

It is required that all Church corporations keep a *book of minutes.*

The corporate title of the Church, the date of its incorporation, and the names of its five (5) Trustees should be entered thereon by the Secretary, as also a copy of the By-Laws adopted by the Trustees, and a full record of all meetings.

In the event of the death or resignation of a lay Trustee or Trustees, such death or resignation should be recorded with the date; and upon the appointment of a successor or successors, the name or names, should also be entered.

Whenever a Church desires to sell or mortgage any property, or authorize any proceedings, or transact any business of importance, a meeting should be held, and the names of the Trustees present, together with a copy of any resolution passed, should be entered on the book of minutes, and the sanction of the Bishop obtained, as directed in the By-Laws.

According to the Act of 1863, each Church should file every three (3) years with the clerk of the county in which it is situated a report giving an inventory of its property and its annual income.

Instructions for the Transfer of Property of Churches to the Several Corporations.

Property that may be hereafter purchased or acquired will be transferred from A–B of the first part to the corporation of the second part. All property vested in the name of Rt. Rev. Francis McNierny will be transferred by Rt. Rev. Bernard J. McQuaid, Bishop of Rochester, residing in Rochester, N. Y., individually and as sole surviving devisee and executor of the last will and testament of Rt. Rev. Francis McNierny, recorded in Book of Wills No. 191, at page 42, in the county clerk's office of Albany county, party of the first part, to ( ), as party of the second part. Then follows a full description of the property to be transferred.

Property vested in the name of Rt. Rev. John McCloskey will be transferred by the Most Rev. M. A. Corrigan, Archbishop of New York, residing in the city of New York, individually and as sole surviving devisee and executor of the last will and testament of his Eminence Cardinal John McCloskey, recorded in the Book of Wills in the county of New York, party of the first part, to ( ), party of the second part. Description of property follows.

Property vested in the name of Rt. Rev. John J. Conroy will be transferred by Rt. Rev. John J. Conroy, residing in the city of New York, as party of the first part, to ( ), of the second part.

Deeds thus completed in the usual legal form will be sent to the Reverend Chancellor, who will in due season have each of them signed by the person in whose name the property is vested. The Reverend Chancellor will then return deeds to the pastors to have them properly recorded. After having them placed on record in the county in which the church is situated, they will then be returned to the Chancery office for safe keeping.

If there be churches which cannot be incorporated, the title must be vested in the name of the general corporation,

"THE ROMAN CATHOLIC DIOCESE OF ALBANY, N. Y."

BEQUESTS.

The attention of the Reverend Clergy is called to the following law regarding bequests:

"No person, having a husband, wife, child or parent, shall, by his or her last will and testament, devise or bequeath to any benevolent, charitable, literary, scientific, religious or missionary society, association or corporation, in trust or otherwise, more than one-half part of his or her estate, after the payment of his or her debts (and such devise or bequest shall be valid to the extent of one-half, and no more)." (Law of 1860, ch. 360.)

"No such devise or bequest shall be valid in any will which shall not have been made and executed at least two months before the death of the testator." (Law of 1848, ch. 319.

The following is suggested to secure certainty in bequests:

"I give, devise and bequeath to the Roman Catholic Diocese of Albany, N. Y., the sum of dollars."

If real estate is to be devised, clearly and explicitly describe it. If it be a question of devising to a church, let the corporate title of the church be mentioned.

IV. Index Alphabeticus.

Rerum Notabilium.

	statuta.	pag^a.
Absolutio:		
Deneganda adscriptis Societati prohibitæ	10	20
Reservata pro Franco-Muratoribus etc	98	37
Religiosis sine speciali facultate datur invalide	87	35
Sæcularibus in domo religiosarum datur illicite sine speciali licentia	87	35
A casu reservato ne detur nisi facultate ad hoc obtenta	98, 99	37
A censuris et casibus notoriis quandoque publica	100	38
facultates diœcesanæ absolvendi	3°, 4°, 5°	65
Abstinentia:		
A potibus inebriantibus inculcanda	24	23
Ab esu carnium fidelibus in mentem revocanda	25	23
Speciali Indulto S. Cong. De Prop. Fide dispensanda	app. 11	70
Dispensetur juxta facultatem diœcesanam	app. I. 8°	65
Acatholici:		
Eorum infantes quandonam baptizandi, baptizentur cum patrinis catholicis	60	31
Si cum catholico matrimonium ineunt, dispensatio et celebratio spectant ad Rectorem partis catholicæ	112	40
Acolythi:		
Sint bene instructi, veste talari et superpelliceo induti.	135	44
Adjutores seu Auxiliarii:		
Adhibendi ad cathechismum docendum	42	28
Ne extra domum rectoralem sine licentia Rectoris pernoctent	150	46
Ne sic opus dividant ut, ministrantibus aliis, alii sint otiosi	151	46
Se arbitrantes laesos, ad Episcopum recurrant	161	47
Tractentur a Rectore cum benevolentia	162	48
Ubi sunt, ne juniores feminæ etiam consanguineæ cohabitent	179	50
Tribus prioribus annis 500, postea 600 scutata accipiant.	213	56
Hoc salarium suum intra præscriptum tempus exigant	215	57
Congruam sustentationem a Rectore accipiant	216	57
Celebrantes ipsi honorarium missæ habeant	219	58

ÆDES:	STATUTA.	PAG^A.
Privatæ ne sint locus collationis baptismi	57	31
Privatæ ne sint locus benedictionis puerperis	67	32
Privatæ ne sint locus celebrationis matrimonii	114	40
Privatæ ne sint locus celebrationis missæ	137	44
Privatæ præsertim Rectoris, sunt locus licitus pro collatione baptismi aliquando	57-58	31
Privatæ quoad asservationem SS. Eucharistiæ quomodo possint inservire	80, fac. 20°	34
ÆDIFICIA PAROCHIALIA:		
Si nova sint erigenda Rector licentiam Episcopi petat, eique ichnographias etc submittat	206	54
Ne alienentur aut ære alieno graventur sine Episcopi licentia	207	55
Eorum tituli penes Episcopum vel corporationem ædituorum esse debet	208	55
Domus rectoralis prope ipsam ecclesiam ædificanda et incorporanda	220	58
Ædificia haec contra incendii damnum assecuranda et cujus nomine	221	58
ÆDITUI:		
Instituendi juxta legem quamnam	208	55
Pecuniam missionis expendere non possunt sine licentia Episcopi vel Rectoris	208	55
Nullum ad munus in missione constituere vel amandare possunt sine sanctione Rectoris	224	58
Nullum sepulturæ ecclesiasticæ tradant absque scripta attestatione sacerdotis eum esse dignum	204	54
ÆGROTI:		
His administrandi SS. Eucharistiam causa, licet eam secreto secum deferre	73	33
Quænam sint quoad hoc observanda	74, 75, 76	33
Tempestive muniantur S. Viatico, etiam pluries	84	35
Opportune visitentur et ad Sacramentorum receptionem disponantur	101	38
Possunt quandoque iteratim extremam unctionem recipere	102	38
Ne priventur Sacramentis sub prætextu quod non contribuerint ecclesiæ	103	38
Sœpius visitentur, orationibus adjuventur, etc	104	38
Si consulant circa dispositionem temporalium, caveat sacerdos ab omni specie avaritiæ, a testamento conficiendo, puellarum tutela suscipienda	174	49
Sacerdotes ut in ægritudine subsidia habeant, sibi provideant fovendo societatem ad hoc institutam	229	59

	STATUTA.	PAGA.
ALBANENSIS:		
Albanenses Synodi superiores quinque confirmantur...	1	19
Albanensis Synodi sextæ celebratio describitur..... ...	.....	5
Albanensis Synodi Sextae lectio annua commendatur..	2	19
ALTARE:		
Habeat ornamenta munda....	135	44
AQUA:		
Baptismalis semper adhibeatur pro collatione baptismi, casu necessitatis excepto	63	32
Baptismalis breviori formula benedici hic potest.....	63	32
Fontis baptismalis rite consecretur Sabbato Sancto ...	64	32
Baptismalis jum adhibita, et aqua qua corporalia fuerunt lavata immittatur Sacrario	54	30
Naturalis adhibenda pro hostiis conficiendis..... ..	72	33
ARCHIVUM DIŒCESIS:		
Ad hoc mitti debet documentum erectionis canonicæ Confraternitatum	33	24
Curandum est a Cancellario	239	61
Ad servandas relationes de bonis temporalibus.....	240	61
ARCHIVA PAROCHIALIA:		
Serventur in arca ferrea, ubicumque residet Rector....	222	58
Quibus libris constent.....	209	55
ARMARIUM:		
Præscribitur pro Oleis Sacris asservandis	53	30
ASSECURATIO:		
Habeatur pro ædificiis parochialibus.....	221	58
ASSOCIATIONES:		
Piæ erigantur juxta normas præscriptas.....	33	24
Piæ maxime promovendæ enumerantur.....	33	25
Piæ non sinantur in societates conviviales transire ...	34	25
Non catholicæ ne ut tales in ecclesiis etc admittantur..	35	25
AUXILIARII. *Vide* ADJUTORES:		
BALTIMORENSIA CONCILIA:		
Denuo promulgantur.....	1	19
BANNA:		
Ante Matrimonia Catholicorum publicanda, et quidem tam in districtu sponsi quam sponsæ....	111	40
Pro dispensatione a Bannis quid fieri possit a Sacerdotibus.....	110	40
De proclamatis Bannis unus Rector alterum monere debet.....	111	40

	STATUTA	PAG.
BAPTISMUS :		
Est Sacramentum maxime necessarium	55	30
Cito procurandum est Baptisma infantibus	55	30
Quando acatholicorum infantes baptizari possint, vel etiam debeant	60	31
In mortis periculo omnes infantes baptizari debent	60	31
Baptismus in receptione Neo-Conversorum	62	32
Minister ejus ordinarius est Sacerdos proprius Baptizandi	50	29
Qualis esse debeat aqua in Baptismo conferendo	63	32
Fontes Baptismales in unaquaque ecclesia erigantur ubi Baptismus ordinarie confertur	56	31
Extra ecclesiam nunquam conferatur Baptismus præter mortis imminentem casum, aut graves causas	57, 58	31
Solemniter non conferatur quando in domo privata ob periculum mortis baptizatur	57	31
Unus saltem patrinus, sed non plures quam unus et una in Baptismo conferendo habeantur; patrinorum dotes.	59	31
In Baptismo infantium acatholicorum patrini Catholici habeantur	60	31
Quænam quoad Baptismum in libro baptismatum recenseri debeant	65	32
Regesta Baptismatum a Rectoribus tenenda	65, 209	55
BENEDICTIO POST PARTUM:		
Non habeatur in domibus privatis, nisi, etc	67	32
Quibus mulieribus est deneganda	67	32
BENEDICTIO NUPTIALIS:		
Potest ab omnibus accipi, etiam diu post nuptias	115	40
Nequit dari in Matrimoniis mixtis	117	41
Nec si partes adituræ sint ministrum acatholicum	118	41
BENEDICTIO SS. SACRAMENTI:		
Omnia ad Benedictionem necessaria habeantur in ecclesiis	152	46
Quibus diebus fieri possit	128	43
Nequit bis in die dari, nisi durante Octava Corporis Christi. *Vide* Expositio	127	42
BENEDICTUS :		
Semper dicendum canticum "Benedictus" in funeribus adultorum	193	52
BIBLIA :		
Ab acatholicis vitiata a suis ovibus arceant Sacerdotes.	7	20
BINATIO :		
Quibus sub conditionibus permittatur	147	45

	STATUTA.	PAG^A.
BONORUM ECCLESIASTICORUM PROPRIETAS:		
Sacerdotes non possunt bona ecclesiastica alienare, debitis onerare, aut notabiliter immutare sine Episcopi consensu antecedente	206	54
Item nec ædificia aut agros pretio acquirere	207	55
Horum bonorum administrator est Episcopus, et in hac re non habet vicarium	208	55
Sacerdotes penes se retinere suo nomine non præsumant bona quæ oblationibus et sumptis fidelium comparata fuerint, sed illa quam primum Episcopo aut ædituorum societati assignent	208	55
Res suas rebus ecclesiæ non immisceant Sacerdotes	210	56
Si pecuniam in ecclesiæ usum conferant, id fiat probante Episcopo	211	66
Librum habeant singuli Rectores, in quo res omnes ecclesiæ recenseantur	209	55
Cautio habeatur contra damnum timendum ex incendio in ecclesia aut aliis bonis ecclesiasticis	221	58
Singuli Sacerdotes testamento rite et pie confecto securitati bonorum ecclesiasticorum consulant	210	56
BREVIARIUM ROMANUM:		
